ILLUSTRISSIMI ... PETRI DE MARCA ...DISSERTATIONES POSTHUMAE SACRAE ET...

Digitized by Google

37
26 B
25

7. C. 10

HAG 1163

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMI ATQUE REVERENDISSIMI

PETRI DE MARCA

PARISIENSIS ARCHIEPISCOPI

DISSERTATIONES POSTHVMÆ

SACRÆ ET ECCLESIASTICÆ,

QUARUM QUÆDAM GALLICA LINGUA.

Nunc ex ipſo Auctoris autographo primùm in lucem edita operâ & ſtudio PAULI DE FAGET *Presbyteri, in ſacro Conſiſtorio Conſiliarii, & nuper Agentis Generalis in rebus Cleri Gallicani, qui vitam Auctoris etiam ſcripſit, & adjunxit.*

PARISIIS,

Sumptibus ANTONII DEZALLIER, Viâ Jacobæâ, ſub ſigno Coronæ Aureæ.

M. DC. LXXXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

37-26-B-25

REGI.

QVOD *juſtum æquumque,* PRINCEPS INVICTISSIME, *qui vel ſua, vel aliena opera publici juris faciunt, ſemper duxerunt, ut ea Principibus viris dedicent, cùm ob reverentiam Dignitatis, tum ob ſui tutelam ut potentiſſimorum inſcripta nomini faciliùs ab invidia protegantur, Hoc eâ qua par eſt demiſſione cum bona Ma-*

jeſtatis Tuæ venia majoribus inductus rationibus hodie facio. Eruditiſſimi quippe viri Petri de Marca Pariſienſis Archiepiſcopi, optimi Conſobrini mei haſce Diſſertationes poſtumas ſacras & Eccleſiaſticas editurus in lucem, alteri quàm Majeſtati Tuæ offerre non poſſum, ut pote cui omnia jure merito debentur, & cui earum auctor ſe magis ſuaque debere fatebatur.

Hominum, qui Regibus ſummo jure ſubjecti ſunt, tametſi ſolæ mentes eorum poteſtate ſolvantur, experientia tamen totius vitæ cum præſtantiſſimo Antiſtite traductæ mihi compertum eſt, nihil antiquius neque carius apud eum umquam fuiſſe, quàm ut tota mens ſua & omnes mentis ſuæ fructus, ſalvo ſupremi Numinis jure, triumphantis memoriæ LUDO-

VICO IUSTO, *Tuæque ab ejus exceſſu Majeſtati ſubderentur. Etenim conſentaneum eſſe rationi ſentiebat, ut amborum qui fuit Regum opus, ad eoſdem omnia ſua referret, & quicquid erat ei doctrinæ & ingenij facultatum ijſdem devotus conſecraret.*

Meminerat equidem vir Erudiſſimus, ſe ſtatim poſt comparatam per aliquot annos juris utriuſque ſcientiam LUDOVICI IUSTI *pietate Supremam in Benearni curiam Senatorem adlectum eſſe, paucis poſt annis ad Præſidis Infulati dignitatem gratuito ejuſdem Piiſſimi Principis, qui ſuum idcirco Præſidem eum appellare ſolitus erat, munere promotum, auguſtiſſimo deinde ſacri Conſiſtorij loco adauctum, atque demum in ſumma Conſorannorum Eccleſiæ Sede conlocatum fuiſſe: Et licet vir*

eſſet doctiſſimus atque Encyclopedia doctrinarum omnium præſtans, de Rege benemeritus, cujus jura propugnarat ſtrenuè, clarúſque tot officiis ac muneribus bene geſtis, ſeſe tamen munificentiſſimo Principi, vel propter eadem tanquam ſumma in eum liberalitate penitus devinctum palam fatebatur.

Non minùs immemor fuit etiam, PRINCEPS INVICTISSIME, *tuorum erga ſe meritorum, quum exantlatis pluſquàm ſeptem annos in Catalonia procuranda laboribus, munere Miſſi* Dominici, *& Viſitatoris Generalis perfunctum eum Metropoli Toloſatum Eccleſiæ Majeſtas Tua præfecit; Tum verò Adminiſtri Regij dignitate decoratum tandem ad* E*ccleſiæ Pariſiorum faſtigium, quaſi alterius Romæ, ut olim Conſtanti-*

nopolis vocabatur, provexit, munus ſuum Alexandro Summo Pontifice confirmante. Et gratam tot beneficiorum in eum memoriam experta, incredibilem in negotiis magni momenti fidem, rerumque agendarum peritiam, Eruditiſſimo Antiſtiti, ſuiſque in dies gratificatura eſſet, ſi vita ſuperſtes illi fuiſſet.

Tot igitur titulis debitum opus reddo Majeſtati Tuæ, & eo quo fas eſt cultu conſecro, veſtigia relegens Auctoris, cui licet longiùs impar viribus & ingenij facultatibus ſim, non animo tamen ad obſequij gloriam inferior videri cupiam. Quapropter quum minorem, quàm optavi voluntatis & obſequij mei operam erga Majeſtatem Tuam, REX POTENTISSIME, *in rebus Cleri nuper Agens Generalis inſumpſerim, majorem proculdubio*

in eam obedientiam, ſi ſe daret occaſio, impendere juvaret, gauderemque magnopere, me quod ſupereſt vitæ tam excelſæ Majeſtati Tuæ cultui devotum abſumere poſſe, ut partes officij mei rectiùs & gloriosiùs implerem.

Quid verò non à me, qui natalibus ſubditus ſum, reverentiæ in te adhibendum putem, quùm Reges exteri, Reſpublicæ, imo & barbaræ Nationes de te mereri certatim ſtudeant, atque Tuam in ſe benevolentiam utpote populis, imperio, rebúſque ſuis neceſſariam peroptent, & ſupplices efflagitent, acutiſſimam ingenij tui aciem, & invictum animi robur pertimeſcentes? Enimvero non ſine gravi cauſa hi omnes fœdus amicitiæ ſolicite poſtulaverunt à LUDOVICO XIV. *qui munus mortalibus obla-*

tum,

tum, magnum & adauctum Gallicum Orbem ſub manu ſua exiguo diademate & panniculo, *ut habetur Proverb.* 11. tenens *à teneris annis tot & tantas hoſtium acies delevit, & arces munitiſſimas expugnavit, ut demùm laſſatus victoriis pacem nuper Europæ dare voluerit.*

A quo tempore, PRINCEPS INVICTISSIME, *legibus omnibus Politices obſervatis eo ſtudio domi foriſque componendis incubuiſti; ut animi recreationibus, corporiſque exercitationibus parcens, totum te negotiis publicis & optimæ Regni adminiſtrationi dederis. Taceo, quas ad fœderatorum tutelam, & populorum fœlicitatem adhibuiſti curas, verus orbis Chriſtiani protector & propugnator. Quid plura? Nonne de fide*

Chriſtiana, & de toto Occidentis Imperio jam actum erat, niſi Lilijs tuis aquilas præcedentibus magnam Turcarum ſtragem feciſſes, & reliquas eorum copias à finibus Chriſtianis arcuiſſes?

Virtutes avitas in Tua Majeſtate, REX POTENTISSIME, *mirantur omnes, atque innumeras Henrici Magni victorias in ea ſola recolunt, quinimo majores augurantur, ut pote cujus adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis Imperijs, non offenſionibus belli, ſed victorijs traducitur; quum pluſquàm æquales huc uſque retulerit triumphos, devictis & obtentis nuper Belgij vel inferioris Germaniæ, totiúſque Comitatus Burgundiæ populis. Vnde juremerito,* PRINCEPS INVICTISSIME, *Belgicus, Germanicus, & Bur-*

gundicus, ſed & etiam Ludovicus Magnus, *mihi dicendus videris.*

Te igitur, Rex Potentissime, *non ſolùm antiquis trophæis onuſtum ut Regem ſuum colit Gallia, ſed reportatis ex Belgio & Burgundia recentiùs triumphis te reducem fœlicibus auſpicijs excipit ſuum Imperatorem, & Populus Patrem Patriæ: quum hoſtes nondum ſe periculo liberos arbitrati, timent te Bellicoſiſſimum, & iterùm quamprimumque in eos ruiturum, ut quæ Tua ſunt ijs invitis obtineas. Cæteri canant ſuo marte victoriam Majeſtati Tuæ ſacram & propitiam, quum ego pro fœliciſsimo exitu, armorum & exercituum Numini grates ago, ex quo majores illi palmas auguror, & donec quæ jure ſibi vendicat, ea reſtituan-*

tur, deprecatione ſlagito: Quot annos voveo Majeſtati Tuæ fortunatè vivat, & gratum habeat hoc munus ab eo qui ſupplex id illi dedicat, & eo quo poteſt cultu & veneratione,

MAJESTATIS TUÆ,

Lutetiæ Pariſiorum XII. Kal. Aprilis anni M. DC. LXVIII.

Addictiſſimus & devotiſſimus,
Subditusque obſervantiſſimus,
PAULUS DE FAGET.

AD LECTOREM.

DE morte Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Petri de Marca Pariſienſis Archiepiſcopi cum luctus omnium publicus fuit, tum meus privatim ſummus, cui patrem, conſobrinus ex matris meæ ſorore filius cùm eſſet, repræſentaverat. Tanta enim fuit ejus erga me bimum utroque parente orbatum pietas; ut quaſi filium ad ultimum vitæ ſpiritum domi ſuæ cuſtodierit, aluerit, & pro virili promoverit, atque in dies promoturus eſſet, ſi vita votis ſuperſtes fuiſſet.

Commendaverat ille mihi multis abhinc annis lucubrationes omnes ſuas autographas, quarum quaſdam mihi dederat. Has omnes, in quibus plures mea manu deſcriptæ, tamquam opes maximas ſervabam; quarum maxima pars abſenti mihi, & apud Toloſates illius tunc Archiepiſcopi Vicariam poteſtatem agenti, neſcio quorum invidia periit, reconditas licet eas Pariſiis

in illius ædibus arca mea cuſtodiret. Aliæ, quæ mihi ſuperfuerunt, unicum eo defuncto viſæ ſunt orbitati quaſi meæ ſolatium, eáſque vel ad mulcendum dolorem, vel ad ſatisfaciendum pietati jam tunc edidiſſem, niſi me Cleri Gallicani negotia, cujus in rebus eram Agens Generalis, occupatum tenuiſſent.

Nunc verò muneris illius occupationibus tandem defunctus, & ſolùm vetus Agens, ut vulgò dicitur, relictus cœpi chartas illas evolvere, quas utiles adeo Religioni Catholicæ, hæreticorum ad fidem Catholicam Converſioni, toti Eccleſiæ, & Reipublicæ litterariæ interlegendum intellexi, ut pretioſam illam Gazam & debitum ſibi ornamentum diutiùs ijſdem invidere noluerim.

Fateor quidem fuiſſe Eruditiſſimum Antiſtitem eâ modeſtiâ & animi moderatione, ut nullomodo de ullis ſuis operibus in lucem edendis deinceps cogitaret. Quinimo tanta fuit illi humanarum opinionum ſuíque deſpectio; ut ultimis temporibus Diſſertationes omnes ſuas oblivione perpetuâ delendas arbitraretur, quapropter

ultimo morbo laborans me præſente juſſit eum quem habebat ab eleëmoſynis librorum & manuſcriptorum cuſtodem, ſuumque Amanuenſem Stephanum Baluſium clariſſimum virum, qui deinde mores ejus & geſta vitamque ipſam eleganter ſcripſit, ut Illuſtriſſimo Præſidi de Marca filio ſuo cariſſimo, Palo quamprimum Lutetiam Pariſiorum adventuro, quæ aſſervabat opera, tamquam fratres ab ingenio paterno editos fideliter redderet: quippe qui pleraque ijs contineri caſtigatione digna meminerat, in quæ mihi jamdudum ſeſe animadverſurum dixerat.

Quòd verò ad ea ſpectat quæ relicta mihi fuiſſe autographa acceperat, nihil prorſus ſanciendum putavit; De meo in ſe cultu & obſervantia nihil dubitans, certóque confidens, me ijs litterarum monumentis, quemadmodum in alijs à ſe mihi ſemper concreditis maximi momenti negotiis expertus fuerat, non abuſurum. Neque verò abutor, dum repetenti publico reddo: Simulque admoneo maximam in partem horis ſubceſſivis & ſolis Officij judicialis, & Palatinarum occupationum intervallis,

quum eſſet Pali frequens in Senatu, & in ſacro Regis Conſiſtorio Pariſiis ab eo exarata eſſe.

Vigebat eâ tempeſtate, quum ſcilicet has de Euchariſtiæ Sacramento Diſſertationes Latinè & Gallicè ſcriberet, magis quàm par erat, in urbe Palo Calviniana hæreſis, & numerus eorum, quos hæc labes infecerat, Senatorum in illa Curia, ſuperabat Orthodoxos. Hinc nata de Sacramento Euchariſtiæ, cujus magis urgebat quæſtio, diſſerendi occaſio, paratior ſcilicet ut in eorum & aliorum ad fidem Catholicam convertendorum congreſſibus haberetur. Quas quidem Diſſertationes adoleſcens adhuc, & quum nondum adveniſſet Pariſios, exaravit.

Similiter ex colloquio, quod vir Eruditiſſimus cum Illuſtri quodam & de litteris benemerito Calviniani erroris viro fortuitò dein habuerat, Conſilium de Conſtantinopolitani Patriarchatus inſtitutione, deque Romani Pontificis auctoritate ſcribendi manavit. Sentiebat enim iſte, Patriarchatum hunc in Synodo Conſtantinopolitana ſub Theodoſio inſtitutum fuiſſe, quum

ex adverſo Doctiſſimus Antiſtes, qui tunc Præſes erat in Navarropalenſi Senatu, jus Patriarchicum Epiſcopo Conſtantinopolitano in Synodo Chalcedonenſi, honorem licet in Synodo Conſtantinopolitana conceſſum fuiſſe contenderet, ut Diſſertationem vel Exercitationem hìc editam tibi legenti latius patebit, quæ de illius Patriarchatus inſtitutione tantùm agit. Si quid autem obſervatum in ea forſan occurrat quod minus placeat, ſcias oportet, tantum Auctorem Eccleſiæ penitùs addictum jamdudum retractaſſe.

Quòd autem ad ſecundam attinet partem, in qua de Romani Pontificis auctoritate ſcribere Vir præſtantiſſimus inſtituerat, hanc in libris *de Concordia Sacerdotij & Imperij* copioſiſſimè lucubratam Lector habuiſti. Imo verò quædam in iſta jamdudum, ut diximus, exaratâ, cùm in iiſdem libris, tum in Diſſertatione de Primatu Lugdunenſi & cæteris Primatibus breviter delibata tibi jam occurrere potuerunt, & nunc in origine, ex qua deprompta fuerunt, latiſſimè & ex profeſſo ſcripta, ſuiſque rationibus innixa magis ſine dubio tibi place-

bunt, cum plurimis nondum in lucem editis obſervationibus eruditionis egregiæ permixta.

Quum à Senatu Palenſi delegatus Perilluſtris Præſes veniſſet Pariſios, & in Sacrum Conſiſtorium Comes adlectus fuiſſet, Congregationem illam, quam appellabant De propaganda fide, quandoque adibat: Et tum Eminentiſſimus Cardinalis Richelius de ijs, quæ de fide diſceptantur inter Orthodoxos, & hæreticos Calviniſtas, apud doctos agi curabat. Unde venit in Optimi Conſobrini mentem Diſſertationi Latinæ de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento Theodoreti de illo ſententiam, atque alteram de ſacrificio Miſſæ Diſſertationem adjungere. Quæ verò de Pœnitentiæ & Matrimonij Sacramentis Gallicè ſcripſit opuſcula, brevi pòſt lucubrata fuère, quemadmodum & fragmentum de origine Cœli & Terræ in ipſomet itinere, quum ex Catalonia rediret, exaratum.

Sufficiebat tanto viro omnes has Exercitationes levi manu pertractaſſe, & his ſcriptis levaſſe memoriam ad privatum ſuum uſum, & meum quoque, ut optimus

Conſobrinus eas de Sacramentis Diſſertationes mihi porrigendo dixit, de publico nihil prorſus cogitans.

Monendus es præterea, LECTOR, jam memoratam Diſſertationem de Sacramento Euchariſtiæ vulgari lingua exaratam hinc abeſſe, ut in ſecunda editione latino idiomate deſcripta ubique prodeſſe poſſit.

Hæc igitur Opuſcula tanti Auctoris æquo, & grato animo perlege, quum in tui gratiam, ad hæreticos in fidem Orthodoxam reducendos, & in publicum uſum nunc prodeant. Vale.

APPROBATIO DOCTORVM.

NOs infra ſcripti ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctores ac Socij Sorbonici legimus, *Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi* PETRI DE MARCA ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS *Diſſertationes Poſthumas Sacras & Eccleſiaſticas, &c.* quatuor Latino Idiomate, primam de Euchariſtiæ Sacramento, ſecundam de Miſſæ ſacrificio, tertiam de Inſtitutione Patriarchatus Conſtantinopolitani, quartam de Origine Cœli & Terræ. Item duas Gallico ſermone deſcriptas, alteram de Pœnitentiæ, alteram verò de Sacramento Matrimonij, quas Catholicæ fidei conſonas reperimus, ut meritò dicantur aquæ ad rigandam Eccleſiam de ſcientiarum in tanti Præſulis animo collectarum oceano ſalientes, quæ ſatis ipſæ fontis ſui plenitudinem indicant ac puritatem ſapiunt. Datum in Sorbona, die duodecima menſis Maij, anno Domini 1668.

N. PETITPIED. S. BOUCHER.

ELENCHVS OPERVM
ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI
PETRI DE MARCA
PARISIENSIS ARCHIEPISCOPI,
quæ hoc Volumen complectitur.

DE Euchariſtiæ Sacramento Diſſertatio, p. 1
De ſacrificio Miſſæ Diſſertatio, p. 83
De Conſtantinopolitani Patriarchatus Inſtitutione Diſſertatio vel Exercitatio, p. 111
De Origine Cœli & Terræ, p. 216

CATALOGUE DES OEUVRES
DU MESME AUTEUR
contenuës dans ce Volume.

DU Sacrement de Penitence p. 51
Du Sacrement de Mariage, p. 59

VITA

VITA

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

PETRI DE MARCA

PARISIENSIS ARCHIEPISCOPI.

AUTHORE PAULO DE FAGET Presbytero, in ſacro Conſiſtorio Conſiliario, & nuper Agente Generali in rebus Cleri Gallicani.

QUUM ſæpenumero quæ ab Illuſtriſſimo atque Reverendiſſimo PETRO DE MARCA, Pariſienſi Archiepiſcopo accepi beneficia, memoriâ recolo, juxta id Baſilij: *Beneficiorum acceptorum commemoratio, honeſta eſt laudandi occaſio*, ab ejus vitæ copioſiſſima laudum περὶ τοῦ πανηγυριστοῦ exaggerandarum ſegete, meo marte atque hiſtorico genere lucubranda, & in lucem edenda

prorſus abſtinere non poſſum. Et ab aliis licèt mores illius & res geſtæ, vitaque ipſa ſcripta ſint eleganter, quòd tamen pleraque ſint prætermiſſa quæ recenſeri merentur, quæque ab eorum altero tametſi promiſſa, nondum tamen edita ſunt, hîc ſupplebuntur, prout mihi præcipuo ejus vitæ Comiti in memoriam venire poterunt, rebus omnibus loco, & temporibus ſuis uno tenore poſitis & reſtitutis.

Fuit igitur Petrus de Marca natalibus illuſtris, ex Jacobo de Marca, & Catharina de Lartet nobilibus parentibus. Quiſnam fuerit Jacobus Pater, atque ejus avi, majoréſque, quæque eorum tam militiæ quàm togæ præclarè geſta, quæ præterea Catharinæ matris animi dotes, & inſignis pietas ampliſſimo non poſſet explicari volumine, nedum paucis his paginis cóprehendi. Ganti, quatuor ab urbe Palo, totius Benearni Capite in Laſcurrenſi Diœceſi millibus, oppidi natum eſſe certum eſt anno ſalutis MDXCIV. IX. Kal. Februarij, quamvis Ortheſium Aquenſis olim Vicecomitatus oppidum, nunc verò Benearnenſi, Vicecomitum antiquorum Benearni victoriis, additum primam ei lucem dediſſe glorietur, quòd ibi ſcilicet conceptus ſaltem fuerit ſeptimo ante ortum menſe: quum parentes in ampliſſimis, quæ Catharinæ in eo ſolo obtigerant, patrimoniis tunc temporis agerent, oppidum tametſi Gantum ut plurimum incolerent. Itaque Septimeſtris fuit editus caſu matris, ut nonnunquam accidit: Unde per duos priores menſes nutriendi labor, per quos, cùm

à nutricis papillis abhorreret, infuſo lacte fuit alendus, proximâ quâque die moriturus, niſi æterno numini, Eccleſiæ ſuæ ſplendori, & Regum ornamento atque commodo eum reſervare placuiſſet. Nec obfuit ea nutriendi pueri difficultas, quin præter eorum morem, qui ante nonum menſem è matris utero prodiere, corporis magnitudine pluſquam mediocri in virum robuſtum evaſerit.

Interim, brevi poſt ejus ortum tempore de animi ſalute ſolliciti propter imminens mortis periculum, ſacris, inter privatos parietes, baptiſmatis aquis, Chriſtianâ cautione, parentes infantem intingi curarunt, expectatâ reliquarum Sacramenti cœremoniarum occaſione: Neq; enim, ad Sacerdotum à Calviniſtis expulſorum, & trucidatorum miniſterium, neque ad ſacras Eccleſias ab illis dirutas, vel occupatas aditus erat, profligato Chriſtiani ritus exercitio, per ſolemne Joannæ Reginæ Navarræ, & Henrici Magni matris, quæ in hujuſmodi hæreſim infœliciter inciderat, edictum, anno MDLIX. promulgatum.

Reſtitutâ Pueruli valetudine parentes de ſupplendis ſacris baptiſmatis cœremoniis cogitantes, in Monaſterium S. Petri Generenſis Ordinis S. Benedicti, in finibus Comitatus Bigorræ ſitum, ubi libera Catholicæ Religionis erat profeſſio, ſecum eum deferri curarunt. Notatu dignum eſt Monachi, Parochi munere ibi fungentis dictum: Nam poſtulato & accepto à ſuſcipienti-

bus imponendo infanti Petri nomine, divino quodam afflatus ſpiritu voces in has repentè erupit : *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Sciebat equidem ille domum de Marca non ampliùs quam XVI. millibus inde ſitam, & ejuſdem familiam in Catholicis Benearni nobilibus eſſe clariſſimam, aliquidque fauſti Catholicæ fidei ab inſolita nobilis infantuli tranſlatione prudenter etiam augurabatur. Nec eum profectò fefellit eventus : fuit enim, ut inferiùs videbitur, Petrus acerrimus Catholici dogmatis propugnator, & firma Benearnenſis Eccleſiæ, quinimò & totius Gallicanæ, Petra.

In cunis quum eſſet adhuc infans, incredibile eſt quam in litteras animi propenſionem, & futuram eruditionem jam tum oſtenderit: quas enim vidiſſet fortè chartas aut libellos frequenti vagitu ſibi dari optare ſe ſignificabat, quumque apprehendiſſet, demonſtrabat iiſdem ſignis quàm eos ægrè eripi ſibi pateretur; ita ut in infantilibus crepundiis & blandimentis potiores eſſent libelli, quorum voluptate mirum in modum trahebatur. Enimverò ita inſitus erat illi à natura horum amor, ut in eo per totam infantiam perſiſtens, primis litterarum & Grammatices elementis maturiùs quàm ſolitum eſt, à præceptore domeſtico informatus fuerit. Tum verò juſſu Jacobi Patris ad Civitatem Auſcorum totius Novempopulaniæ Metropolim, & in jus Eluſæ Metropolis antiquæ ſubſtitutam, ut ipſemet in hiſtoria Be-

nearni ab illo edita cenſet, ſtudiorum cauſa vix novem natus annos perrexit, ubi Patres Societatis Jeſu in celeberrimo litterarum Gymnaſio frequens audiebat. Ad quartam illico Grammatices adlectus, pronuntiatas à Ludimagiſtro prælectiones pluribus notis, è libris Auguſtini de Civitate Dei lectione privata depromptis inter recitandum illuſtrare ſolitus, animum Magiſtri in admirationem, & condiſcipulos in ſtuporem adducebat, ut inter loquendum ipſe mihi narravit.

Ad ſuperiores ſcholas provecto, ſicut acciderat in quarta, primæ ſedes claſſicæ jure merito, renuenti licet nonnunquam, deferebantur; ita enim perſoluto quotidiano claſſis penſo in frequenti aliorum librorum lectione erat aſſiduus, ut quotidie literarum peritiâ magis quàm ætate creſceret. Omiſſis ſolitis puerorum ludis, ſolo, eoque raro coturnicum, quibus Auſcorum abundat ſolum, aucupio contentus, cœteris Condiſcipulis longiſſimis intervallis præſtabat, nec minus Sacramentorum frequentationi, & precibus Deo erat deditus, ad quas Patres Societatis Jeſu, qui eorum Scholas adeunt, adoleſcentes, æque ac ad litterarum ſtadium mirabiliter hortantur.

Sed interim Catharina Mater, ut erat pietate inſignis, continuis precationibus, & ſanctis quæ crebrò fieri curabat Miſſæ ſacrificiis chariſſimi ſui Petri conſervationem & incolumitatem è cœlo efflagitabat, & pariter Jacobus Pater cum illa,

&ambo de illius ſalute (erat enim unica maſcula eorum proles) vehementer ſolliciti, ſingulis annuis ſtudiorum intermiſſionibus quum initio autumni vacare Scholæ incipiunt, animi recreandi cauſa eum ad ſe vocabant. Quot & quibus egregiè & acutè dictis cum iis, quos habebat itineris comites, ſeſe oblectaret, præter fidem & ætatem habendum eſt, ut ab uno ex illis ſuperſtite mihi relatum eſt.

Repititis patriis laribus quidquid deliciarum & oblectamenti certatim offerebatur, reſpuebat, præter ferarum venationem, cui libenter nonnumquam indulgebat cum Jacobo Patre, qui ſolitis eam habebat in deliciis propter multiſonos canum venaticorum latratus, ſagacitatem eorumdem & alacritatem, corporiſque in perſequenda fera exercitium: ſed imprimis lectioni librorum erat intentus, feriatum illud tempus non prorſus amiſſurus. Quo elapſo ad Auſcos confeſtim reverſus, ſolitis publicarum Scholarum occupationibus teneri, & ita erudiri viſus eſt ſingalis annis, ut prioribus quatuor facultatum Rhetorices præmiis egregiis ſanè ſtudiorum monumentis, abſens licet dignus judicatus fuerit, quæ ad illum paternam in domum miſſa fuerunt, & hodie in domeſtica Bibliotheca à Perilluſtri Galactorio de Marca ejus filio, cujus amplam inferius mentionem faciemus, aſſervantur. Hæc ego quoque literarum trophæa ſæpius pertractavi, & totam earum rerum ſeriem à Jacobo & Ca-

tharina Matertera mea, cujus utriuſque pietati multum debeo, olim accepi, quæ quidem ſciſcitanti mihi aliquando optimus Conſobrinus confirmavit; eo præterea addito, ſe cum ſuis Condiſcipulis de Catecheſis memoriter recitandæ præmio contendere noluiſſe, Græco tametſi latinoq; idiomate totum Caniſii Catechiſmum memoria teneret, & abſque ullo errore recitare potuiſſet.

Peractis eâ gloria Rhetorices ſtudiis, ad Philoſophiam, & jus utrumque addiſcendum animum convertit. Votis filij, quamvis invitus conſenſum præbuit Jacobus Pater. Etenim quum ille priſcis Majorum ſuorum veſtigiis inhærens arma togæ prętuliſſet, atque armatos ea tempeſtate, nihilque minùs quàm bellum minitantes hæreticos adverteret, Petrum ſuum equorum armorumque tractationi intentum unicè peroptabat, niſi piæ uxoris expoſtulationes, filiique nata ad pietatem, ac litteras indoles à conceptis eum conſiliis abduxiſſent. Itaque Petrus, ut harum ſcientiarum tyrocinium poneret, Toloſam mittitur, ubi Philoſophiæ primùm navavit operam ſub Patribus Societatis Jeſu, quos ſemper peramavit, plurimi fecit & coluit; ita ut niſi parentum voluntas obſtitiſſet, in eorum Societatem aſcriptus ſine dubio fuiſſet, adeò pietati, litterarum ſtudio, & animarum ſaluti, quibus omnibus illi præſtant, deditus erat. Accepi ab illo, ſubtiliſſimis licet illius ſcientiæ argutiis præcelleret, magis ad Ariſtotelis Ethica, quibus ſummopere delectabatur,

ſeſe convertiſſe, ſerias illas & poſitivas præciſis & minutiſſimis preferens rationes.

Magiſter in artibus factus vix teneros pubertatis annos exceſſerat, quum publicas & toto orbe celeberrimas tam prophanarum quàm Pontificiarum legum ſcientia ſcholas Toloſæ ingreſſus, frequentiſſimis percontationibus Clariſſimos Janum à Coſta & Maranum, cœteroſque Juris utriuſque Profeſſores fatigare ſolitus erat, & non reſpuebat audire Cadanum unum ex illis, à pleriſque licet obſcuritatis inſimulatum, ſubtiles magnæ illius ſcientiæ tenebras divina fere ingenij ſui acie penetrans. Ac ne quis forte exiſtimet propter ſingularem, quam Petrus ſibi comparavit, utriuſque juris eruditionem per tres circiter annos quibus in ea frequens fuit Academia, totum in Jurium meditationibus verſatum fuiſſe, compertum habeo, nullum eorum quæ ſunt in ampliſſima Fuxenſi Bibliotheca, cùm excuſorum, tam Manuſcriptorum voluminum per totum & Philoſophiæ & Juriſprudentiæ curriculum impertractum & non perlectum reliquiſſe. Unde eximiam illam, qua inclaruit, encyclopediam, & linguarum peritiam Patribus Societatis Jeſu, Toloſæ tum temporis Profeſſoribus, & Bibliothecæ Fuxenſi maximam partem debuiſſe fatendum eſt.

Non tædebit, ut opinor, Lectorem, quod illi quibuſdam in Condiſcipulorum colloquiis obtigit, accipere. Videbant illi & admirabantur ſimul aſſiduum ejus & continuum in ſtudendo laborem,

borem, & rarò deambulantem & cœteris animi corporiſque recreationibus indulgentem inveniebant, unde iis invidiæ in eum alicujus cauſa extitit, exprobrabántque adoleſcentem genere clarum non decere, à virorum & mulierum nobilium civitatis colloquiis & ſocietate recedere, nec præſtantes animi dotes exerere, non ludos, nec ludicra, neque nocturnas hyemis choreas, ut aliis ſolitum erat, frequentare, poſſéque eum, virum abſconditum jure nominari. Ad quæ ille, quum veniſſet temporis occaſio, futurum ſe omnibus pernotum, ubi latendum illis foret, peracutè reſpondit.

Quum tot perpeſſis in ſtudio laboribus, vel ut verius loquar, tot oblectamentis deguſtatis: (litterarum enim ſtudia cariſſimas ſibi eſſe delicias aſſerebat) ad reditum in patriam ſe compararet prudentiſſimus adoleſcens, ſe plerumque ſicut ipſe mihi narravit, cum hæreticis Benarni collocuturum prævidens, eorum cavillorum imperitus, & nullam eos addiſcendi, neque iis reſpondendi occaſionem Toloſæ, quæ ſe ſemper ab omni hæreſeum labe & hæreticornm ſocietate, quos civitatem incolere non eſt paſſa, ut puram ſine ſpinis roſam conſervare curavit, quorumdam librorum, qui de controverſiis dogmatum fidei agunt, lectioni gnaviter incubuit, ne iis armis deſtitutus hoſtium Catholicæ Fidei congreſſus fugere teneretur, & ut aliquo modo eorum impetum, ſi quando irrumperent retundere ſibi liceret.

Non illi fuit inutilis tantæ prudentiæ cautio: Nam vale Toloſæ dicto glorioſis litterarum ſpoliis onuſtus, in patrium ſolum rediens pagi cujuſdam *de Arros* appellati VI. circiter ab oppido Ganto millibus in itinere ſiti Baronem, unum ex duodecim Comitiorum Benearni, & ex gente Bironum nobiliſſima inſalutatum relinquere noluit, quòd Jacobi Patris eſſet amicus. Accepit eũ humaniter & amicè Biro quibuſdam viris nobilibus vicinis comitatus, cũ quibus eum in prandium vocavit, quo lautiſſimè appoſito, unus ex illis (omnes enim erant præter adoleſcentem noſtrum Calviniſtæ) de quodam ex iis, quæ inter Orthodoxos & hæriticos illos ſunt controverſa, dogmate diſſerere cœpit, & eum ad errorem allicere propoſito quodam ad ejus ſuaſionem aculeato ſophiſmate. Tum verò excuſare ſeſe Marca noſter, cauſare belli hujuſce imperitiam, firmum quidem ſe, ut omnes ſui deceſſores & Patrem Jacobum, fidei Catholicæ profeſſorem, ſed non athletam aſſerere, atque ad eam tuendam ea peritia qua oporteret imparatum veniſſe. Cùm tamen detrectantem pugnam adoleſcentem importuni hæritici nihilominus laceſſerent: victus tandem eorum quæſtionibus ita reſpondit, ut ad ejus ipſi reſponſa quid reponerent, brevi non habuerint. Attonitos quidam hæretici dogmatis in urbe Palo Miniſter, vir de cujus ſcientia, magna apud ſuos erat opinio, quique illic fortè accumbebat, excepit pro viribus,

profligatorum animos erexit, fereque perditos recreavit, allatis videlicet quibuſdam argutiis, quarum aciem citato ex Epiſtolis Divi Pauli loco novus athletes omnino retudit. A tam expreſſo rei probandæ textu τἀδιδωπoίμην nullo alio modo explicare ſe potuit, quàm aliter in Divo Paulo legi pertinaciter conteſtando. Marca verò confeſtim in Novi Teſtamenti Græci abſque interpretatione Latina, quem ferè ſemper ſecum ferebat, codice ; laudatum locum ipſiſmet, quæ attulerat verbis, conceptum indicavit. Sed cùm ſibi penitus ignotam eam linguam profiteretur Pſeudominiſter, ſi non omnino cauſſâ cecidiſſe, deluſus ſaltem ab adoleſcente ſuis etiam viſus eſt. Hinc Petri fama de rerum controvertendarum fidei peritia percrebruit apud hęreſis ejuſmodi Profeſſores, quem infenſiſſimum deinceps adverſarium futurum ſibi conjecerunt.

Reverſus eodem die ſalvus & incolumis paternam in domum, quàm gratus & acceptus fuerit apud parentes, non eſt difficile creditu, ubi totum ſe ad litterarum, & pietatis ſtudium dedidit. Elapſis tamen aliquot menſibus, ut parentibus, qui tum de quodam in ſummo Pali conſilio obtinenda dignitate cogitabant, morem gereret, forum illic cœpit frequentare, ac demum in advocatorum numerum, cùm ſuam prævio, ut ibi ſolitum eſt, examine probaſſet in jure peritiam, eſt relatus. Tum verò quaſdam habuit ad Senatum pro clientibus orationes elegantiſſimas, quæ Judicum

æque ac auditorum animos in admirationem adduxerunt.

Ab aſſerta jam communi conſenſu Gallorum Henrico magno corona, ſingulari illius pietate publicè Edictum fuerat, ut Epiſcopi Laſcurrenſis & Oloronenſis cum ſuis capitulis, & duodecim in illorum diœceſibus Parochis officia divina ſuis Eccleſiis Catholicorum ritu reſtituerent, attributis militibus Chriſti ſtipendiis ex bonis Eccleſiaſticis Joannæ jam fato functæ Navarræ Reginæ matris ſuæ juſſu, olim fiſco addictis. Tum verò Hieronymus de Marca Jacobi frater vir ſummæ pietatis, juris utriuſque peritiſſimus, Canonicus & officialis Laſcurrenſis à Ludovico Juſto in ſummũ Benearni Senatum adſcitus fuerat in locum Senatoris cujuſdam hæretici demortui. Obtulerat Hieronymus Regias litteras, quibus illa dignitas abs Rege ſibi deferebatur, ſeſeque examinandum præbuerat Conſilio ſupremo ex Magiſtratibus Calvini labe imbutis compoſito, qui eum, quòd ſacerdos eſſet, non admittendum cenſuerunt. Quum autem novis ſubinde impetratis ab aula litteris admitti in Senatorum ordinem iterùm poſtulaſſet, ab eo ſibi adjungendo rurſus ſeſe excuſarunt. Itaque Hieronymus acceptâ bis repulſâ ab eo Senatu, Petri ingenium ad dignitates exercendas natum advertens, ſeſe Magiſtratu ſponte abdicavit, eumque novo Regis diplomate in Petrum tranſtulit, qui ſic ex arena fori ſuperiora ſubſellia conſcendens, cùm ſo-

lemne examen ſubiiſſet, in purpuratis patribus recenſetur xxii. ætatis anno.

Enimverò quâ prudentiâ ſoli Orthodoxo, novoq; Senatori in toto Calviniſtarum veteranorum cœtu opus fuerit, unicuique perpendere licet. Non eſt tamen quod quemquam exitus anxium habeat, nimirũ is fuit qui erat ab homine ſapientiſſimo, & prudentiæ jam tum ſenilis, expectandus: Ita quippe ſe geſſit, ut adoleſcentiæ licet annos nondum exceſſiſſet, in omnium Magiſtratuum animos irrepſerit. Ad horum ſibi comparandam benevolentiam non parum juvit litterarum & juris præſtantia, ingeniumque ad exponendas explicandaſque vel intricatiſſimas jurgiorum & litium ambages mirum in modum promptum & habile, quæ quidem animi dotes cum optima indole boniſque moribus conjunctæ ſummam illi conciliarunt omnium exiſtimationem.

Atque hac in Schola, magnæ, qua floruit, rerum tum publicarum, tum privatarum ſcientiæ tyrocinium poſuit: Nec obfuêre nuptiæ, quas ut primùm Magiſtratum adeptus eſt, ad res Eccleſiaſticas tametſi natus, hortante Jacobo Patre, contraxit cum Margarita de Forgues. Fuit illa ſanè præſtanti formâ mulier, & nobili Vicecomitum Levitanenſium in Bigorræ Comitatu ſanguine orta. Plures ex ea ſuſcepit filios nataſque, de quorum quatuor qui ei ſuperſtites fuêre mentionem inferius agemus, altera licet ex filiabus, à

qua ſoli Petri nepotes extant hodie, jamdudum extincta ſit. Erat igitur Margarita non modò corporis, ſed animi dotibus ſplendida, pietate & omnium virtutum ornamento inſignis. Mira fuit inter conjuges concordia, ita ut unum cor & unica anima in duobus corporibus eſſe viderentur.

Agebatur tūc de Catholicæ fidei cultu in ſingulis totius Benearni Parochiis reſtituendo, quod ante jam actum in duodecim ſuperiùs monuimus, atque de Clero in bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſionem reducendo, vel, ut aiunt Juriſconſulti, redintegrando vi Decreti ſacri Conſiſtorij & edicti publici, quæ Ludovicus XIII. triumphantis memoriæ ea qua erat pietate tulerat. Miſſus à Rege Legatus qui Regiis mandatis curaret obtemperari, tantùm abeſt, ut quicquam proficeret, ut & litterarum Regiarum, ipſaque adeò Legati auctoritas Pſeudopaſtorum artibus ſpreta, intentatis etiam minis violata fuerit. Quare nobiles viri, quotquot erant in Provincia qui ſeſe illibatos ab omni hæretica labe cuſtodierant habito clam concilio Jacobum Petri Patrem Legatum ad Regem expoſtulandi cauſſa mittendum cēſuerunt. Ille verò, ut erat fortis & magnanimus, hæreticorum, qui de ea legatione valdè licet ſecreta aliquid ſubodorati fuerant, inſidiis neglectis & deluſis, iter Pariſiorum ingreditur. Sed priuſquam diſcederet, ut animum ante Petro ad omnibus illius Sectæ hominum conatibus obſiſtendum addere ſolebat, ita nunc ampliſſima re-

rum ad Regem renuntiandarum commentaria ab eo accepit. Poſtea verò quàm ſalvus & incolumis ad Regiam pervenit, collocutione cum eo qui præcipua valebat apud Regem gratia Duce Luyneo habitâ, confeſtim in ſuperius Regis conſiſtorium introductus rem totam ut ſe tunc habebat in Benearno, ſuæque profectionis, & legationis conſilium coram Rege, Luyneo, cœteriſque Regiis Adminiſtris luculenter expoſuit, præſentiam Regis in Benearno penitùs neceſſariam eſſe concludens, ni res ad Religionis Catholicæ cultum, & ad Benearni conſervationem pertinentes deſperatas vellent.

Ex hac renuntiatione piiſſimus Princeps in Benearni Provinciam eundum ſibi neceſſariò intelligens, Duci Luyneo ſtatim ſuam hac de re mentem aperuit, ſibi eſſe in animo, niſi Senatus Palenſis edictum ſuperius commemoratum in acta Curiæ referret, illuc quamprimum proficiſcendi. Quod conſilium cum minùs probari ſibi ſignificaret Regius Adminiſter, per eos ſcilicet, quos tota hæreticorum gens habebat in aula, Legatos falſo admonitus de difficillimo in Provinciam aditu, de annonæ caritate, & aliorum quibus apparatui bellico, & familiæ Regiæ opus eſt, penuria, ac proinde metuens, ne infauſtum hæc expeditio eſſet exitum habitura; contendere Jacobus procaciſſimis illis hæreſeos procuratoribus nullam adhibendam eſſe fidem, quęcumque de illa Provincia referrent, ea eſſe omnia

planè falſa & commentitia, ac demùm omnia proſpera fauſtaque ſpondere, atque ipſum Regi eventum prȩſtare, quibus Rex permotus in decretæ jam apud ſe in Benearnum profectionis mente perſtitit. Luyneus tamen abſtinere non poterat, quin Jacobo promiſſorum memoriam identidem renovaret, in eo poſita omnia, ipſumque Regis honorem ei uni concreditum admonens: quod non mediocris fuit Jacobi fidelitatis commendatio; Res enim, ut aſſeruerat, ita ſe habuit. Ideóque in ipſo triumphanti Regis in urbem Palum ingreſſu, Jacobum è feneſtris domus ſuæ ſpectantem conſpicatus Luyneus gaudens exclamavit, Regem ſuis, ut ille fecerat, promiſſis ſtetiſſe.

Inter hæc Petrus Jacobum Patrem de omnibus quæ in Benearno tunc agebantur, monebat litteris frequentioribus ad eum datis, ſe pluribus quæ Novatores moliebantur, obſtitiſſe, nihilque contigiſſe docens, quo facilis Regis in Benearnum, & in ipſam *Navarrenx* arcem munitiſſimam ingreſſus impediri poſſet. Porro ſummum id & nullomodo ſilentio prætereundum eſt, eâ ſcilicet fuiſſe Petrum, adoleſcentem licet, in rebus gerendis induſtriâ, ut Collegas quoſdam hæreticos proximo videlicet Regis adventu territos, ad Edictum in Acta Curiæ referendum promptiores, & paratiores advertens, de ea ſententia dimoverit, oſtendens quàm Proregi, à quo nuper carceris injuriam paſſi eſſent, futurum eſſet

ſet

ſet acceptum, qui illud ipſum à Curia ſe vel impetraturum vel extorturum antea Regi promiſerat. Prævidebat nempe vir prudentiſſimus, ſi res Senatuſconſulto decerneretur, futurũ, ut Rex Pariſios Luyneo ſuadente reverteretur, itâque quę cumque eſſent edicto ſancita, irrita, ut ſperabant hęretici, remanerent. Quapropter in eorum ſententiam, qui edictum in Acta Curiæ referre quidem cenſebant, ita tamen ut priùs Calviniſtarum expoſtulationes audirentur à Rege, ire non dubitavit. Tum verò Legatus ipſemet ad offerendum ejuſmodi Senatuſconſultum Regi, qui tunc in pago de *Pręgnac* XXIV. Burdegala Garumnam ad fluvium millibus diſtanti rerum ab eo Senatu decernendarum exitum expectabat, quia Regi gratus habebatur, miſſus cum altero Calvinianæ ſectæ Collega ſecretò ſuæ ſententiæ conſilium, & omnia rerũ arcana Adminiſtris Regiis aperuit.

Non immemor fuit etiam piiſſimus Princeps curarum & diligentiæ, quas Jacobus & Petrus ejus filius ad ejus exequenda mandata, reſque in Benearno procurandas adhibuerunt: Etenim poſt recuperatum Benearnum cum arce *Navarrenx*, & edictum memoratum in acta Senatus relatum, quibuſdam pedeſtris militiæ Tribunis, quibus æs militare quotannis à Rege ſolvebatur, quòd Rempublicam ſæpiſſimè perturbarent, dimiſſis, Jacobum Equitum Turmæ prȩfecit, converſis in eum, equitumque ſuorum regiis Tribunorum ejuſmodi ſtipendiis; Petrum verò ſupre-

mum Benearni conſilium cum ſumma Navarræ Vicecancellaria ſub Parlamenti nomine conjungens, ex Senatore Pręſidum infulatorum in ordinem gratis adſcripſit. Unde ſuum eum Pręſidem piiſſimus Princeps appellare ſolebat. Delegata fuit illi quoque celeberrima illa ad Eccleſiaſticos in avitam ſuorum rituum, & bonorum poſſeſſionem redintegrandos Provincia, qua poſt diſceſſum Regis ex Benearno civitates omnes, oppida, pagos, vicoſque Benearni perluſtrans, & Epiſcopos cum ſuo quemque Clero Catholicoſque recreans, ſolitâ gloria fœliciter ſeſe exſolvit.

Delegatione hac perfunctus, Pali frequens in Senatu rectè munus ſuum exequutus eſt, cui aucta dignitas onere majori cumulata eſt: verumtamen horis ſubceſſivis non parcebat in legendo ſcribendóque ſemper aſſiduus, eum licet uxoris blanditiæ à ſtudio litterarum avertere conarentur. Quod ita verum eſt, ut ſi qui eſſent, ex cubiculis libros omnes auferri, & viam aliúnde bibliothecæ præcludi viro diligenter illa curaret. Quum tamen interdum occurreret opportunè noſtro Præſidi quiſpiam liber, cujus lectioni intenderet animum, ut aliquantum uxori morem gereret, cum illa cœteriſque qui aderant inter legendum colloqui ſolebat; ita ut quæ ipſe legeret, & quæ dicebantur ab aliis, intelligere ſe ſatis affirmaret. Sed eâ ſœpiùs utebatur arte, ne à peramata lectione diſtraheretur animus, ut

quum primum egreſſus eſſet è Senatu, ſingulis quoque feriatis diebus ſecederet ad locupletem ſelectorum librorum bibliothecam, quam olim ad academiam abrogatam Ortheſij pertinentem, à Ludovico Juſto Patribus Capucinis Palenſis Conventus, quòd ad emendos libros iis pecuniæ non ſuppeterent, ad eorumdem, & ſui quoque uſum dari obtinuerat.

Furebant eâ tempeſtate majori quam ante veſaniâ Calviniſtæ non executionem edicti jam ſæpè memorati ſiccis oculis intuentes. Dolebant profectò quas armorum vi & furore priùs invaſerant, & per quinquaginta jam annos obtinuerant, Eccleſias juſſu Regis ſibi repentè adimi. Quapropter arcem *Navarrenx*, forti præſidio, cohorte nimirum veterana munitam dolo occupare, quoddamque caſtellum opere, & munitionibus ſepire tentaverunt. Sed quum utroque conatu miſerè cecidiſſent, & debitas perduellionis pœnas dediſſent, arma in calamum editis famoſis libellis converterunt, quibus Patres Societatis Jeſu luculenter reſpondêre; quemadmodum eorum curâ, quos ex eadem Societate ſummus Pontifex in Benearnum miſerat ante Regis in illud adventum, reſponſum fuerat ſimilibus hæreticorum libellis; quo tempore ſcripſerat quoque Marca ipſe libellum quemdam alieno nomine, ſuo licet dignum, quo procaces eorumdem Calviniſtarum libellos fortiter & peracutè retuderat. Quid tum? novos Parochos ſuis cavillationibus,

ſæpe laceſſebant hæretici, &, quorum Deus animos ad fidem Catholicam profitendam flexerat, Calviniſtas à tam ſancta hæreſis pœnitentia pro viribus avertere conabatur. Hinc publicæ controverſiæ & diſputationes cum Patribus Societatis Jeſu, & Capucinis, quibus præerat Marca nomine Regis, ſuppetias ſi opus fuiſſet, daturus. Hæreticorum præterea ad fidem Catholicam converſioni & hæreſis profligationi ſemper invigilans in pleriſque privatorum congreſſionibus de controverſis fidei capitibus egregiè diſſerebat.

Porrò non fuit hæc vana & inutilis cura: quidam enim ejus adhortationibus erroris Calviniani Miniſtri, & plerique etiam alij eorum exemplum ſequuti ad veritatis lucem feliciter ſunt revocati: tanta quippè valebat dicendi vi, atque eâ, ſacrarum paginarum, & Patrum Eccleſiæ teſtimonia, quæ ad fidei controverſias pertinent, ſic exponebat, ut eum, quem innuiſſet eorum ſenſum, nemo non germanum exiſtimaret; & libenter amplecteretur; cùm interim ea, quâ lucebat, pietas ad ſuſceptum hujuſcemodi opus promovendum deducendúmque ad exitum haud parum conduceret.

Per annos circiter decem & ſeptem functioni ſeſe muneris ſui ſollicitè laudabilitérque dedidit, quo tempore numquam niſi feriatis diebus vacabat, ſed ſemper erat in officio, ut votis litigantium, qui negotiis & litibus promptiſſimè li-

berari peroptant, ſarisfacere poſſet. Utraque litigantium pars eum ſuæ cauſæ judicem poſtulabat; ita ut qualemcumque res haberet exitum, iis etiam qui cauſa ceciderant, illo Judice prorſus ſatisfactum fuiſſe videretur, tanta erat quæ percrebuerat ubique de rectis ejus & doctis ſuffragiis fama, quâ integer & incorruptus apud omnes Judex habebatur. Unde ſæpe plures antequam in litium inextricabilem ſeſe præcipites darent labyrinthum, ſummam ad eum ſolum res controverſas definiendi, & dirimendi poteſtatem detuliſſe accidit, quod munus eò meliùs & fœliciùs obeundum ſibi putavit, quo ab omni lucro, & avaritiæ ſordibus fuit ſemper alieniſſimus. Quinimò vidi eum ſœpius occurrentem iis qui in rebus alicujus momenti diſcrepabant, quoſque inter jurgij quidpiam extiturum prævidebat, ut omnia ſua negotia quæ difficultatis aliquid patiebantur, amicorum arbitrio tribuerent. Similiter omnium rixarum inimicus & pacis amator, ſtatimatque aliquam accepiſſet fuiſſe quibuſlibet contentionem vel injuriam illatam, eos conditionibus æquis ad earum oblivionem, & in priſtinam amicitiam fœliciter revocabat, Epiſcopi munere in matrimonio defunctus.

Porrò Clariſſimus vir, ut erat rerum agendarum peritiſſimus, atque Regi, ejuſque Adminiſtris notus, ſingulis ferè trienniis delegatus ad Regem negotiis Curiæ procurandis à Senatu Palenſi mittebatur. Profectus eſt igitur eò Senatus ejuſdem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nomine, quum in apertum prodeunte Calviniſtarum defectione Rex piiſſimus civitatem Montis Albani munitiſſimam arcem ab illis occupatam obſidione cum ingenti exercitu, & armorum vi oppugnaret, ubi ſuum Præſidem novâ Miſſi Dominici vel Conſiliarij Regij ſtatus, ut vulgo vocatur, apud Proregem Benearni, rebus, quæ ad rempublicam adminiſtrandam pertinent, ſtatuendis dignitate, ſtipendiis quibuſdam attributis ornavit. Sed peractis Senatus Palenſis negotiis redeuntem graviter pupugit Ducis Luynei, & Patris Arnoux Societatis Jeſu Sacerdotis Regi à conſcientiæ ſecretis, & viri eruditiſſimi audita mors, quod cùm utrique eſſet chariſſimus magna ab iiſdem cùm amicitiæ, tum magnæ eorum exiſtimationis teſtimonia ſibi ſperare licebat.

Poſt ſuum in urbem Palum reditum habitâ in Senatu eorum, quæ geſſerat in Comitatu, luculenta renuntiatione magis atque magis aucta fuit de ejus peritia atque amplitudine Collegarum opinio, Præſidiſque ſedem repetens eo munere gloriosè continuato labore functus eſt. Vacante tunc Proregis, & Gubernatoris Benearni dignitate Præfectus eſt ei Gondrinus Marchio Montiſpanenſis, vulgò de *Monteſpan*, vir nobiliſſimus & fortiſſimus, Sectæque Calvniſtarum infenſiſſimus, qui brevi poſt in urbem Palenſem, ſicut Proregem decebat, ingreſſus eſt. Inde terror ingens hæreticis, & incredibilis animorum

conturbatio, maximè quod eſſet illi Marca, nomine Regis è conſiliis, cujuſque miniſterio Comitiorum publicorum Benearni ſupplices libelli, quorum Reſcripta vim legis habent, in provincia, antiquâ & ſcriptâ conſuetudine, vulgo *foro* nuncupata, decernebantur. Hîc majorem Eccleſiæ tuendæ nactus occaſionem, quanta perfecerit in Religionis, Cleri, Eccleſiaſticorum & Catholicorum utilitatem adverſus hæreticorum artes & conatus excogitari non poteſt, eorum autoritatem, audaciam, & proterviam ubique perſtringens, & depreſſos Orthodoxorum animos vehementer recreans & confirmans.

Eâ tempeſtate, vel ante, quas edi curamus in lucem, Diſſertationes huic volumini adjunctas de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, Latino unam, alteramque Gallico idiomate horis ſubceſſivis ſcripſit, non alia mente, quàm ut paratior eſſet ad hæreticos ab errore ad fidem Orthodoxam revocandos, ubi ſeſe in fortuitis congreſſibus eos ſollicitandi præbebat occaſio. Neque enim tunc, neque poſtea venit in illius mentem, ut unquam typis mandarentur, imo verò nunquam eas, ut mihi videtur, recognovit.

Interim moritur Gondrinus æquali Calviniſtarum gaudio, ac Catholicorum luctu. Sed luxit eum præ cæteris Marca, non modo quòd fides Catholica columnam, verum etiam quòd ipſemet amicum amiſerat. Hunc dolorem excepit alter immanis & atrox ob Catharinæ Matris, quam

ſemper peramanter coluit, luctuoſam mortem. Hæc calamitas Domeſtica XIII. Kal. Auguſti anni MDCXXIV. contigit, cujus meminiſſe debeo, quum ego vix infantiam prætergreſſus, & utroque parente orbatus ea die non modo Materteram meam, ſed matrem alteram amiſerim. Fatendum tamen eſt, quod moriendo mihi ſenſerat adimi auxilium optima mulier, iterata ante exceſſum apud virum & filium commendatione ſuppleviſſe: tanta enim fuit eorum erga me pietas in ejus memoriam, ut me quamdiu vixerunt, ſicut ſuum domi filium educarint.

Succeſſit Gondrino Gramonti Comes in Navarræ & Benearni Proregis & Gubernatoris dignitate, vir antiquis & nobiliſſimis Gramonti Comitibus oriundus, Regum deliciæ, & totius Comitatus ornamentum. Fuit ille gratiſſimus Benearnenſibus, quod præcipuus eſſet in Benearno Dynaſtes & duarum ex duodecim Comitiorum Generalium Provinciæ antiquarum Baroniarum, plurimorumque aliorum oppidorum & pagorum potentiſſimus dominus; quodque ſemper omnibus hæreticorum machinationibus & conatibus armorum vi fortiter obſtitiſſet. Memini me in urbem Palum incredibili pompa ingredientem eum vidiſſe, magnificoque apparatu à Palenſibus receptum Proregem. Idem dies fuit noſtro Præſidi fœliciſſimus, quum duplex illi obtigerit lætandi cauſa, perilluſtris ſcilicet & nobiliſſimi Proregis, quem peroptaverat, adventus,

ventus, & ſui filij unici ortus, quem Margarita primo diluculo pepererat, ut ille quoque tam celebri feſto non deeſſet, quinimo Proregi magnificentiſſimo ſic obvius ipſe quoque prodiiſſe videretur. Galactorii nomen Pater eum habere voluit à ſancti Galactorij Laſcurrenſis Epiſcopi nomine deſumptum, quod acerrimus fuiſſet olim fidei Catholicæ Propugnator, pro qua tuenda Normannorum Hæreticorum armis occubuerat. Nec malè cecidit ſors nominis, quippe qui ſit lacteis & candidis moribus Galactorius noſtri Petri filius, acuti & ſummi, ſicut Pater erat, ingenij, avitæ virtutis hæres, de litteris benemeritus, & qui hodie, ut ſuo loco dicetur, Præſidis munere digniſſimè fungitur. Non mediocris fuit Gramonti lętitia, quod Rex tantum virum ſibi à conſiliis eſſe voluiſſet, & ſubitò Marca ſumma apud eum valuit gratiâ, itaut, quum à Senatu Palenſi delegatus anno MDCXXVIII. mitteretur ad Regem qui tunc Rupellam obſidebat, & tunc temporis eò profecturus eſſet magnificentiſſimus Prorex conceſsâ ſibi à Rege eundi facultate, Marcam noſtrum non modò viæ, ſed per totum obſidionis tempus comitem habere voluerit: Erat enim Præſes noſter in familiaribus colloquiis gratiſſimus atque ſuaviſſimus, & ſi quid ab eo doctrinæ & litterarum poſtularetur, repentè numeratâ, ut ita dicam, pecunia perſolvebat, auditorum animos ſuâ explicandi ratione mirum in modum oblectans.

Per has circa Rupellam moras, ut alij armis, ille poſt exactas negotiorum, propter quæ eò iverat, horas, crebris ad Deum precationibus & litterarum ſtudio vacabat. Sed nonnunquam ad Senatores Calviniani ritus Collegas ſuos animum reflectenti, eorumque ſalutis cupido venit in mentem, ſi quod Edictis Regiis in Gallia jam antè cautum erat, ſcilicet ut recentiores Magiſtratus Catholici, antiquioribus Calviniſtis præſiderent, idem in Benearno deinceps obſervari juberetur, fore, ut qui errores ſuos minus adamarent, ab iis adjuvante Deo recederent. Quapropter, ad quos id curæ pertinebat, Miniſtros Regios allocutus, poſt reditum in urbem Palum gaviſus eſt vehementer in principio anni MDCXXX. Reſcriptum Regium, quo ſimile quid ſanciebatur, ad Senatum Palenſem juſſu Regis fuiſſe perlatum, in acta Curiæ mittendum, & religioſè cuſtodiendum: quod ut præceptum erat, acceptum eſt ab eodem Senatu qui Regis voluntati, quibuſdam licet contradicentibus, obtemperandum ſibi eſt arbitratus. Porro hæ regiæ litteræ maximum habuêre momentum (Deo humanis, ut ſolet aliquandò, mediis, humanam mentem ad divina ſuaviter impellente) ut ancipites priùs quorumdum animos, ad fidem licet Catholicam valde propenſos, ad ejuſdem cultùm hæreſi Calvinianâ abjuratâ, ut ſagaciter Marca ſubodoratus fuerat, amplectendum permoverit.

Eodem ipſo anno MDCXXX. ſcripſit doctiſſi-

mam quam hîc in lucem edimus Diſſertationem de Conſtantinopolitani Patriarchatus inſtitutione, cujus laboris ſui epocham quandam hujuſmodi converſione commemorata in margine adſcribere placuit.

Hanc ille Diſſertationẽ, ut reſponderet difficultati ab amico Calviniani cultus profeſſore, viro ſane Clariſſimo, in congreſſu privato propoſitæ, lucubravit, queadmodum legenti patebit; quâ abſoluta ad Tabularia in archivis Cameræ Rationũ Palenſis recondita, dum per horas fori judiciis dicatas liceret, evolvenda animũ convertit, quibus perlectis Hiſtoriæ Benearni antiquoris edendæ mentem jam ante conceptam aperire ſuo tempore decrevit. Verùm, ut antiquorum temporum arcana faciliùs reſerare poſſet, quędam vicinorum Monaſteriorũ tabularia pervolutavit, & aliquas, ſed raras ex Monaſteriis & ædibus Cathedralibus Benearni membranas, privatorum quorundam pietate incendio illi generali, quo omnia fere Catholicæ fidei monumenta conſumpta ſunt, ereptas ſibi adduci curavit, quædam alia antiquitatis monumenta ab aliis Monaſteriis exſcripta ad eum tranſmiſſa fuerunt amicorum diligentiâ, aliqua verò à Marchione de Aÿtone Catalano miniſtrata & miſſa fuerant antè, cujus extant literæ in Hiſtoriæ Benearni volumine. Quum verò nullus antè Benearni Antiquitatum Scriptor extitiſſet, vel ſi quid attigiſſent qui hoc conati fuerant, initia, falſa veris, hiſtoriæ fabulas admiſcendo mi-

ſere hallucinati corrupiſſent; plures antè anni elapſi ſunt, quàm veteres chartas, quibus ad hanc hiſtoriam ſcribendam illi opus erat, colligere potuerit. Qui labor tribus etiam aut quatuor ad Regem Legationibus, & aſſiduis tam privatis quàm publicis negotiis eſt interruptus.

Tot & tantis non frangebatur Præſes noſter laboribus, neque valetudo quid detrimenti capiebat, cui vires addebat Deus Optimus Maximus pro ea quâ erat in eum reverentia & cultu: Parcebat enim litterarum, cœterorumque negotiorum ſtudio, ut inprimis privatis precationibus, ſacramentorum frequentationi, miſſæ ſacro diebus ſingulis audiendo, & Dominicis feſtiſque etiam concioni vacare poſſet, jejuniorum & eleëmoſinarum obſervantiſſimus. Verùm cùm optimâ frueretur ipſe ſanitate, uxoris ſuæ incómodæ valetudinis mulieris infirmitate non parum afficiebatur. Exceſſit illa è vivis anno VII. Id. Ap. MDCXXXI. Sed non excidit è corde viri ſui qui eá toto pectore peramabat, ad cujus mœroris levamen delegationem ad Regem à Senatu Palenſi delatam acceptam habuit, qua cum fungeretur Pariſiis ea tempeſtate, qua Gaſto Dux Aurelianenſis Regis Ludovici Juſti frater unicus duxit in uxorem Margaritam Ducis Lotaringiæ ſororem, & ibi plures illius temporis Scriptores juſſu Regis de validitate nuptiarum tanti momenti ſcriberent, luculentam de Matrimoniis Diſſertationem ſcripſit, quæ à Perilluſtri Galactorio de Marca ejus

filio ſervatur,in lucem ut edatur digniſſimâ judicio auctoris ipſius, qui eâ tamquam libro quarto ſecundum Tomum de Concordia Sacerdotij & Imperii ſe concluſurum promiſerat in admonitione ad Lectorem prioris Tomi.

Vix annus ab uxoris obitu unus abierat, cùm Jacobus Pater de illo novis nuptiis illigando cogitare cœpit. Verùm ea, quâ ferebatur in ſtatum Eccleſiaſticum, etiam antequam matrimonium iniiſſet, propenſio, animum ab hujùſcemodi conſilio prorſus avertit. Itaque anno MDCXXXIV. Legatione defunctus Margaritam filiam ſuam primogenitam egregiam formâ & moribus puellam uxorem tradidit Arnaldo de Labarte viro nobili Vicecomiti de Rebenac, & totius Benearni Seneſcallo. Hujus ingenium, quod à natura nacta erat, peracutum mirâ ipſe diligentiâ excoluerat; Nam ut primùm linguam per ætatem licuit in verba ſolvere, præceptis Geographiæ totius necnon Hiſtoriæ ad ejus uſus neceſſariæ, inter accumbendum menſæ ita imbuerat ipſius animũ, ut ſi quid hiſce de rebus à quopiá interrogaretur, haud imperitè & abſq; mora reſponderet.

Porro Marca collectis undequaque antiquitatis monumentis Hiſtoriam Benearni lucubrandam aggreditur anno ſcilicet MDCXXXVII. in caſtro ſuo Ganti feriarum tempore dum Curia Parlamenti Navarropalenſis vacat, totis ſcilicet Auguſto, & Octobri menſibus, & opus eâ quâ poteſt diligentiâ perſequitur. Sed exacto menſe

Octobri poſt ſolemne Feſtum omnium Sanctorum ad forenſes occupationes revocatur, quibus, ut in eas ſe teneri arbitrabatur, numquam parcebat. Itaque res Hiſtoriæ Benearni ſic infecta relinquitur, & ad diuturnum tempus differtur propter novam, quæ ei à Senatu Navarropolenſi rerum maximi momenti causâ ad Regem decernitur, delegationem, ad quem menſe Aprilis anni MDCXXXVIII. profectus eſt, & me Comitem hujus itineris habere voluit. Sed dimiſſa Patria cogitationem Hiſtoriæ Benearni adeò non dimiſit, ut quidquid hac de re ſcripſerat hactenùs, commentaria quoque, & quæcumque erant ad ſcribendum neceſſària ſecum deferri curaverit, ut ſi quæ ſe abſolvendæ hiſtoriæ, imò & edendæ in lucem daret occaſio, eâ videlicet uteretur.

Sub finem ejuſdem menſis Lutetiam Pariſiorum ſalvi & incolumes advenimus, ubi negotiis ad Legationem ſuam pertinentibus agendis intentus optimus conſobrinus, parvam vel ferè nullam ad hiſtoriam Benearni operam navare potuit. Etenim quum ei per illas occupationes adeſſe domi licebat, à pleriſque utriuſque togæ viris clariſſimis, & imprimis à quibuſdam illuſtribus libellorum ſupplicum Magiſtris, & Pariſienſis Parlamenti Senatoribus frequentiſſimè inviſebatur: qui quidem prioribus honeſtatis, & urbanitatis officiis ab iis perſolutis, domum ejus frequentes revertebantur, eum loquentem audiendi cupidiſſimi, & variis quæſtionibus laceſſitum

mirabantur ſubitò reſpondentem de quacumque ſcientia, antiquitate, & de ipſiſmet Règiſtrorum Curiæ Parlamenti, & Cameræ rationum Pariſienſium locis notabilioribus. Unde omnes ſequentibus poſtmodum diebus adverſaria penes ſe habuerunt, in quæ notatu digniora quæcumque ab ejus ore poterant excipere, brevibus notis referebant.

Altera fuit etiam à ſuſcepto opere animum avertendi cauſa, quæ egregiam tanti viri in altera facultate peritiam agnoſcendi valdè opportuna fuit occaſio. Habebatur ea tempeſtate, quàm vocabant de propaganda fide, Congregatio, in qua alter ex Sodalibus orthodoxum, alter verò Calviniſtam agens, de iis quæ ſunt in controverſia circa fidem acerrimè diſputare ſolebant. Multùm adeò inclaruit Marca in evolvendis earum controverſiarum nodis, ut omnes laïcum virum de rebus ejuſmodi doctè diſſerentem mirarentur.

Non prætermittendum hoc loci cenſeo, Præſidem noſtrum, quum Delphinus tunc quidem ſpes Galliæ, atque adeò Europæ totius; nunc verò Rex invictiſſimus victor hoſtium, orbis Belgici domitor, caraque ſuorum ſubditorum poſſeſſio Nonis Septembris ejuſdem anni, Cœli Galliam amantis munere prodiiſſet in lucem, litteras à Senatu Palenſi accepiſſe, quibus Regem ſuo nomine ſalutare omniaque ex ortu tam optato proſpera fauſtaque augurari jubebatur, quo

officio eâ qua par erat reverentiâ functus, humaniter à Ludovico Juſto acceptus eſt.

Ineunte anno ſequenti MDCXXXIX. amicorum licet frequentiâ à labore diſtraheretur, intermiſſum tamen opus Hiſtoriæ Benearni perſequitur, ſed brevi, accedente occupatione omittendum: Etenim cùm Rex optimus conſiſtorium Regium augere viris aliquot, rebus quæ in eo agitarentur pietate, ac peritia paribus optare ſe Richelio Cardinali Eminentiſſimo ſignificaſſet, iſteq; delectus hujus habendi curam Superilluſtri & nobiliſſimo viro Petro Seguierio Galliæ Cancellario demandaſſet, viſus eſt huic Præſes noſter digniſſimus qui eâ dignitate præ cæteris ornaretur. Noverat quippe peracutam ipſius ingenij vim, ſagacitatem, & eruditionem, utpotè quem de variis quæſtionibus ab eo propoſitis apud ſe diſſerentem audierat, itaque per amicum ei ſe in ſacro Conſiſtorio ſiſtere ſuaſit. Morem geſſit Marca ſapientiſſimo viro, cui erat addictiſſimus, & ſimul Præſidis munere ſe non abdicandi facultatem adeptus eſt à Rege, qui non modò novum ſacri Conſiſtorij Comitem probavit, ſed à ſemetipſo deligendum, ſi veniſſet in mentem, aſſeruit.

Adlectus eſt igitur in ſacrum Regis Conſiſtorium menſe Julio ejuſdem anni, in quo acceptus potiùs quàm receptus eſt litteris Regiis Comitis Conſiſtoriani Semeſtris illi conceſſis, ſed menſe Januario ſequenti, novo diplomate factus Comes

ordinarius

ordinarius abſque intervallo frequens fuit in illo Superiori Conventu, cui ſingularis novi Collegæ peritia rebus in diſceptandis, & ſumma eruditio confeſtim innotuit, atque fuit de eo magna commendatio probitatis & integritatis incorruptæ. Sententiam rogatus non fuſiùs quàm par erat, ut plerumque doctis contingit, trahebatur oratio; ſed omnes ſuffragij ſui rationes eo lepore, & venuſtate perſtringere ſolebat, nemini ut umquam faſtidium, ſingulis verò incredibilem oblectationem adferret.

Non latuit eos, quibus erant negotia in utroque Conſiſtorio Regio, novi Judicis fama, quod juſtum ſcilicet æquumque eſt ſua ſententia unicuique tribuere ſoliti. Quapropter apud eum frequentes veniebant, ſupplicéſque ſuas illi cauſſas & rationes exponebant, ita ſibi qualemcumque demum res eſſet exitum habitura ſatis ſuperque factum exiſtimantes; quos ille ita libenter audiebat, nullus ut umquam repulſam ferret. Verùm quamvis hæc occupatio continua ferè videretur, à labore tamen hiſtoriæ Benearni lucubrandæ non abſtinuit, quam eodem anno feliciter abſolvit. Amici ſtatim eum compulerunt, ut ante finem operis quæ jam erant lucubrata typis mandari curaret. Cætera verò anno poſteriori excuſa fuêre, typiſque finis impoſitus ſub auſpiciis Superilluſtris Galliarum Cancellarij, cui totum opus tanquam optimo Mœcenati ſuo, memor acceptæ gratiæ conſecravit. Quis autem ſit ejuſmodi li-

ber, penes lectorem & hominum opinionem judicium eſto; ſed ſummam fuiſſe de eo exiſtimationem, ubi primùm prodiit, & ab eruditis etiamnum plurimi fieri certiſſimum eſt; quippe qui licet ſterilem & aridam antiquorum Vicecomitum Benearnenſium, & vicinorum hiſtoriam dumtaxat complectatur, nihilominus doctiſſimis cùm geographiæ, tum variarum antiquitatum novis obſervationibus maximè commendatur.

Poſt tam ingens & luculentum opus editum, quum occupationes Conſiſtorianæ animi ſui amplitudini ſufficere non poſſent, Diſſertationibus tribus, alteri ſcilicet de Legatis, Latinè, duabus verò de Conciliis Provincialibus & Nationalibus, & de Judiciis Epiſcoporum vulgari idiomate ſcribendis ſummi Adminiſtri Cardinalis Richelij juſſu reliquum anni tempus impendit, quas manuſcriptas Richelio & Cancellario tradidit ad privatum illorum uſum, de publico nil cogitans.

His abſolutis aliquam etiam vir laborioſus operam poſuit in explicanda Theodoreti de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſententia, & in lucubranda de ſacrificio Miſſæ Latinè Diſſertatione, quam hoc in lucem edi volumine curavimus.

Eodem ipſo anno MDCXL. prodiit famoſus quidam libellus ſub optati Galli nomine, duo volumina de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ recèns edita graviter inſimulans, quod ex eorum lectione ſchiſmatis periculum, ut ipſe aiebat, perti-

meſcendum eſſet, cujus auctorem fore Richelium ambitione Gallici Patriarchatus atrociter præſagiebat. Sed Cardinalis, ut erat vir Maximus, & ſingulari erga ſummum Pontificem, & Sedem Apoſtolicam reverentia primo libelli aſpectu per Illuſtrem ſui cubiculi Præfectũ qui nunc de Rege, & de litteris bene meritus digniſſimè Parieſienſem Eccleſiam obtinet Conſiſtoriani noſtri ad repellendam tam atrocem injuriam conſilium expetiit, & Commentaria atque rationum capita, quibus objecta dilui poſſent ab eo poſtulavit. Marca verò confeſtim obtemperans intra tres dies ampliſſima porrexit de iis rebus Commentaria; ſed tribus aut quatuor circiter poſt menſibus editus eſt liber Conſenſus Hierarchiæ & Monarchiæ inſcriptus, qui larvati illius optati furioſam petulantiam fortiter & eloquenter retudit.

Enimverò Richelio, Regique ipſi, cujus præcipua res agebatur utpote in ſuo Adminiſtro graviter læſi cumulatè ſatisfactum erat hoc reſponſo, nec quicquam aliud deſiderari videbatur: Verumtamen auctori Commentariorum delegata eſt quoque librum conſcribendi Provincia, in quo non modo procacitas Pſeudo-Galli repelleretur, ſed quid ſint præcisè Libertates Eccleſiæ Gallicanæ potiſſimum ediſſeretur. Quapropter ut ſe ſtatim impoſito exſolveret onere, ſub finem anni MDCXL. periculoſum ſimulque ſplendidum illud opus perfecit, Librum ſcilicet *De Concordia Sacerdotij & Imperij*, cui inſcribendum Titulum

ejuſmodi ab anno prope ſuis aperuerat amicis, & huic Titulo propemodum invitus addidit quæ ſequuntur, *ſeu de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, flagitante Typographo cariùs & citiùs ſic ſe librum venundaturum ſperante.

Quum huic incumberet labori Marca plurima contigerunt, quæ à me referrentur non indigna, ex quibus, ut brevitati ſtudeam, ſeligam duo tantùm, quæ hîc non prætereunda cenſeo: quorum alterum eſt, virum optimum ſtatimatque hujuſcemodi operis folia, quibus res ad Apoſtolicæ Sedis auctoritatem pertinentes tractabantur, lucubraſſet, ea coram Clariſſimo & Doctiſſimo Theologo amico ſuo, qui ſtipendiis Romanis pro viribus ſummi Pontificis fidiſſime militare audiebat, & brevi poſt ab eodem ſummo Pontifice Cathedrali cuidam Eccleſiæ præfectus eſt intra fines Galliæ, perlegere ſolitum eſſe; ut ſi quid ei forſan occurreret Sedis Romanæ juribus contrarium, libenter & amicè moneret. Probavit equidem ille me teſte quæcumque ad hanc materiam ſpectabant, vel ſiquid minùs placuiſſet, confeſtim vidit ipſe emendatum. Fuit enim Marca Sedis Apoſtolicæ ſemper Religioſiſſimus cultor, & ad vitam Eccleſiaſticam, ut diximus, propenſus, ideoque aditum ad Eccleſiaſticas dignitates ſibi præcludi nullo pacto volebat. Quare cùm deinde ad Conſorannorum Eccleſiam nominatus fuit, ut inferiùs videbitur, & in inquiſitione de vita & moribus, ut ſolet, facienda coram

Apocriſiario Apoſtolico ad Confirmationem à ſummo Pontifice conſequendam, verſaretur, neminem ad aſſerendam erga ſedem Apoſtolicam ſuam fidem & doctrinam teſtem ſe adhibiturum putavit aptiorem, eo jam commemorato illuſtri Theologo, qui quidem ſummam Candidati Præſulis eruditionem, morumque integritatem copiosè laudavit; ſed eo libro *De Concordia Sacerdotij & Imperij*, de quo mentionem egimus, Romanæ Sedis auctoritatem aliquantiſper læſiſſe à ſe abſimilis teſtificatus eſt. Hoc meam quoque ſuperaret fidem, niſi quam meis ipſis oculis vidi, teſtificatione, mihi conſtitiſſet. Unde tot & tantæ ad eam obtinendam ſummi Pontificis Confirmationem difficultates prodierunt, ut mox dicemus.

Alterum verò, quod notatu dignum exiſtimavimus, ad eam ſcribendi, quâ valebat, facilitatem ſpectat: Neminem enim ex iis, qui propter negotia Conſiſtoriana, vel amicis qui ad colloquia familiaria frequenter eum conveniebant, non admiſiſſe miratus ſum. Cùm ſcribendo incumberet nonnunquam acerrime, ab opere avelli ſe libenter patiebatur, ut hilari & gratiſſimo, quo erat vultu exciperet unumquemque; familiareſque nonnunquam harum, quas intermiſerat, materiarum collocutione, ſi qua peritia valerent, erudiret, atque auditis negotiorum difficultatibus & amicorum colloquiis ad omiſſum laborem, velut ſi nihil de novo contigiſſet ſtatim redibat.

Ingentem antè hoc editum volumen de illius eruditione fuiſſe famam, eamque in omnes Galliæ partes manaſſe ſuperiùs diximus: ut verò editus eſt in lucem liber aureus, per totum eam or- orbem percrebuiſſe fatendum eſt, ob illam quæ omnium peritorum erat de opere tam luculento exiſtimationem, & inprimis eorum qui ſcientiam Canonum callere ſe putant, quippe qui ejuſdem libri lectione per avia & per incalcatas & nondum tritas vias duci ſe intellexerunt. Quis enim ante Marcam Canones antiquos in certam methodum tam accurate retulit? Nemo equidem. Plures ante illum erant Decretaliſtæ, ſed non ita multi Canoniſtæ. Poſt illum verò plurimos ejuſmodi viam ingredientes advertimus: Quinimo Theſes Theologicæ Facultatis Pariſienſis, quæ ante quidem, ſicut in ſubtiliſſimis quæſtionibus verſabantur, ita etiam ſcripturas explanabant, ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ difficultates ſtudioſius enucleandas & ad Canonum intelligentiam conſequendam hoc exemplo prodierunt.

Non intumuit Marca, ut ſolent qui præcellenti ſunt ingenio, neque laudes hominum & blandimenta Comitatus captavit, minus autem præmium à Rege, quod operi luculento vel deberi videbatur, amicorũ ope, aut ipſemet flagitavit. Ex adverſo, ſingulari quum fuerit ſemper erga parentes pietate, confeſtim edito libro in Benearnum profectus eſt anno MDCXLI. Jacobum Patrem ſeptuaginta ſeptem annorum ſenem veneratione

dignum viſurus, ut eum trium annorum abſentiæ ſuæ tædio affectum aliquantulum recrearet, & poſt aliquot ibi menſes exactos rediit Pariſios ſub finem ejuſdem anni. Brevi poſt reditum tempore graviter & iniquo animo Patris obitum accepit, qui XI. Kal. Januarij MDCXLII. excedens è vita ſimul eodemque tempore cariſſimum filium vitamque ſibi eripi dixit.

Is fuit piiſſimi filii ad nuntium defuncti patris dolor, ut morbum ex eo contraxerit non levem, febri nempe acutiſſima per dies quindecim abſque intermiſſione ulla conflictatus, cujus cauſam non aliunde, quam ex dolore illo vehementiori petendum eſſe medici omnes ſunt conteſtati. Redditis Deo gratiis pro valetudine recuperata, Hiſtoriam Sacelli cujuſdam ſub invocatione Beatæ Mariæ Virginis. Deo dicati *Bellirami* nomine, vernacula verò lingua *Betaram* in *Stellæ* Benearni pago Diœceſis Laſcurrenſis eſt aggreſſus flagitante Carpentario Illuſtri pietate & Angelica vita Preſbytero, qui hanc pietatis domum, quemadmodum etiam deinde Montis Valeriani ſacellum in Diœceſi Pariſienſi fundaverat. Inclaruerant enim multis & ingentibus miraculis ſacræ Bellirani ædes, & innumeri populi, qui peregre voti cauſſa illuc adventabat, frequentia quotidie replebantur. Ideoque tot & tanta quæ Chriſtus illic in ſuæ matris gratiam prodigia perpetrarat, alicujus ſcriptoris laborem merebantur. Accepi ab optimo Conſobrino, quæ Oraculi ſpecie ad il-

lius aurem pronuntiavit, verba bonus is Preſbyter, cùm illi gratias pro abſoluta daret opera, Beatam ſcilicet Virginem tantum laborem copioſiùs illi repenſuram. Hæc Hiſtoria flagitantibus ipſiuſmet domus Bellirami Preſbyteris fuit dein in lucem edita Barcinone poſt exceſſum Carpentarii qui in odore ſanctitatis extinctus eſt.

Huic operi ſucceſſit aliud : Neque enim unquam defecit animus à labore. Interdum Codices manuſcriptos Græcos Bibliothecæ Regiæ, ut erat linguæ Græcæ peritiſſimus, Marca pervolvebat, atque inter legendum occurrit illi nonnunquam epiſtola decretalis Vigilij Papæ, qua Synodus Oecumenica Conſtantinopolitana ſecunda confirmatur. Eam non ſolùm ut hactenus incognitam ille plurimi fecit, ſed etiam quòd multùm ad firmandam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem contra quorumdam Theologorum ſententiam in Concilia generalia prodeſſet. Quum igitur aliquando de eâ cum amicis colloqueretur, ut hunc inventum theſaurum uſui publico redderet, atque Diſſertatione quadam tamquam earum rerum peritiſſimus artifex illuſtraret ab eo exegerunt, quibus morem gerens hanc Epiſtolam typis mandari juſſit cum interpretatione ſua latina, & luculenta Diſſertatione. Præterea anathematiſmos ejuſdem Synodi, duas quoque epiſtolas, Eutychij ſcilicet, ad Vigilium unam, Vigilij ad Eutychium alteram hactenus idiomate latino tantùm excuſas Græco tum ex iiſdem manuſcriptis Codicibus adjunxit.

Verum-

Verum enimverò hæc opera, quæ horis ſubceſſivis exaravit, non eum à rerum publicarum adminiſtratione potuerunt abducere, nec ab iis negotiis, quæ per totum ferè annum à Principe tam in urbe quàm extra credebantur, quibus fauſtè fœliciterque perfunctus eſt Rege Richelioque probantibus. Sed Eminentiſſimus iſte Cardinalis exceſſit è vita ſub finem anni magno cum Optimi Conſobrini luctu, qui quum de illo eſſet bene meritus, magnis ab eodem labores ſuos beneficiis compenſandos ſperabat.

Eodem anno Bruno Ruada, qui ex Chartuſiano Conſorannorum Epiſcopus ordinatus, ſedem ejus Eccleſiæ plurimos annos occupaverat, quum paralytico morbo laborans ſuæ dignitatis officium implere non poſſet, Epiſcopatui ſuo Renuntiaverat, ut verbis Canoniſtarum utar, in favorem Petri de Marca, ad id videlicet famâ viri, pietate, litteris & præclaris animi dotibus permotus. Sed nondum Litteris Regiis iſthæc Renuntiatio ſtabilita fuerat ante mortem Richelij, qui hanc rem infectam reliquit. Quapropter ejuſdem Eccleſiæ patebat ambitio plurimis, qui propediem moriturum Brunonem expectabant, & quidam ex iis Adminiſtrorum Regiorum, qui tum Rempublicam gerebant, auxiliis innixi, ad eam ſe aſcenſuros dignitatem ſperabant eâ fiduciâ ſpecieque certitudinis, ut Marca de eâ nullo modo deinceps ferè cogitaret. Quum tamen in ſupremo Regis Conſilio de neceſſitate

Coadjutorem in Eccleſia Conſorannorum ad Epiſcopalia munia obeunda, vel Epiſcopum ob Renuntiationem eligendi Rege coram ageretur, atque in iis, qui illi præeſſe mererentur, Marca recitaretur, ſubitò Rex piiſſimus eum ex ſuo Præſide ſuum etiam Epiſcopum, ſi optaret, ſe velle facere reſpondit, quod ita fieri, ſuis litteris juſſit ultimis anni MDCXLII. diebus.

Ineunte ſequenti anno Inquiſitioni de vita & moribus coram Eminentiſſimo Cardinali Grimaldo Apocriſiario Apoſtolico viro clariſſimo & nobiliſſimo, qui à paucis diebus Cardinalis dignitate de ſede Pontificia benemeritus ob probatam pleriſque Legationibus fidem, integritatem & rerum peritiam jure merito auctus fuerat, Marca noſter vacavit, in qua Præſules & ſummi Magiſtratus aliquot adhibiti teſtes, iiſque teſtimoniis quæ pluſquam ſufficiebant, & plurimis adhuc laudum elogiis nominatum commendarunt Epiſcopum; qui proculdubio Litteras Confirmationis à ſummo Pontifice quamprimùm obtinuiſſet, niſi ea, de qua diximus ſuperius, teſtificatio prorſus infœliciter obfuiſſet. Inquiſitio peracta mittitur Romam cum litteris, ut moris eſt, Regiis. At interim proh dolor! exceſſit è vita Ludovicus Juſtus in caſtro Sancti Germani in Laio, pridie Idus Maij ejuſdem anni MDCXLIII. cujus licet litteræ Nominationem ad Epiſcopatum Conſeranenſem complectentes ſufficere viderentur, novis tamen Ludovici XIV. opus fuit, ut harum pe-

riti rerum aiebant. Iſtis igitur litteris aliquo pòſt tempore Romam miſſis junguntur litteræ privatæ memorati Eminentiſſimi Cardinalis Grimaldi, qui benevolentia erga noſtrum Præſulem ſingulari, ut magnum Eccleſiæ futurum ornamentum, eum Eminentiſſimo Cardinali Antonio Barberino Comprotectori Galliæ commendavit, ut ab Urbano VIII. Summo Pontifice Patruo ſuo Confirmationem ejuſmodi flagitaret; quarum litterarum uſus occaſione Marca ſuam quoque ſuadente Grimaldo ad Eminentiſſimum Comprotectorem Epiſtolam ſcripſit, unde manavit ſumma illa amicitia, qua Eminentiſſimi Cardinales Franciſcus & Antonius Barberini noſtrum Præſulem ſunt complexi. Neque tamen ſtatim in Curia Romana confecta res eſt, & variis dilationibus, quibus Romani libenter utuntur, totus annus elabitur, quo tamen ipſo eruditam illam de Primatu Lugdunenſi & de cœteris Primatibus Marca Diſſertationem horis etiam ſubceſivis exaravit, quæ amicorum curâ invito ipſo, qui priùs eam recognoſcendam putabat, in lucem edita eſt.

Interim Catalani, quos ultro ſibi deditos jam à duobus ante annis Ludovicus Juſtus ſub ditionem ſuam acceperat, litteris frequentibus, & per eos qui erant in Comitatu nationis hujus homines de rerum quæ ad politicen pertinent, adminiſtratione queruntur, provinciamque idcirco brevi ruituram, atque in Regis Caſtellæ poteſtatem ſine dubio reverſuram augurantur; ni vir po-

litices peritiſſimus ſummæ probitatis & omnium virtutum inſtructus quamprimùm eò mittatur, qui Magiſtratuum coërcendorum, & in eos animadvertendi cum authoritate Viſitatoris Generalis, ut ſingulis agi trienniis in Hiſpania ſolitum eſt, poteſtatem haberet. Quamobrem Eminentiſſimus Cardinalis Mazarinus, cujus conſiliis piiſſimæ Recordationis Regina Mater innitebatur, monet Superilluſtrem Franciæ Cancellarium, ut in Sanctiori Regis Conſiſtorio quærat virum omnibus ad id muneris obeundum animi dotibus præſtantem. Annuens ille ſingulis Conſiſtorianis diligenter inſpectis duorum aut trium ex illis nomina ad ſummum Adminiſtrum referret; in quibus erat Marca, quamvis eum à ſe avelli ampliſſimus vir & amiciſſimus ægrè admodum pateretur. Verumtamen ita accidit, ſicut verebatur, & unus in tot præſtantibus viris eligitur Marca, ut in Catalonia Viſitatoris Miſſique Dominici ſimul muneribus fungeretur. Quare monetur ſub finem menſis Januarij anni MDCXLIV. ut ad iter adeò longum ſe comparet, daturque illi aliquid ex ærario Regio ad partem ſupellectilis neceſſariæ comparandam.

Jam antè Marca, ab adepta ſcilicet Conſorannorum ad Eccleſiam Nominatione Regia, ut infulati Præſidis in ſupremo Navarropalenſi Senatu munere ſeſe abdicaret renuntiatione in ſui Galactorij favorem factâ cogitaverat, ſed quod junioris eſſet ille quàm par erat, ætatis, neque

ullum adhuc geſſiſſet Magiſtratum, opus erat ſingulari, & hactenùs inaudita juris relaxatione, quam jam ab experta Cancellarij protectione atque amicitia impetraturum ſperabat: Nec ſpem fefellit vir præſtantiſſimus, nam accepta à Rege facultate in gratiam tam longæ peregrinationis, & muneris adeò difficilis à Patre ſuſcepti, hanc Renuntiationem in filij favorem litteris ſigillo Regis munitis ſe admiſſurum ſpopondit, eâ tamen lege, ut Galactorius Præſidis quidem munere decoratus, non tamen ut Præſes, ſed quaſi Senator eo fungeretur per ſex annos continuos, quibus exactis ad ſuperiores Præſidum ſellas nullis novis Regiis litteris illi conſcendere liceret. Quibus peractis diſcedit Marca Pariſiis menſe Martio ſequenti, & in Cataloniam proficiſcitur felicibus auſpiciis, tranſiens per Benearnum, ubi paucos dies commoratus à Collegis ſuis in frequenti Senatu Palenſi, litteras Regias in favorem Galactorij concedendas, in Acta Curiæ ut referrentur, & filius admitteretur nemine diſcrepante conſequutus eſt. Quæ omnia felicem eodem anno habuerunt exitum. Deinde rebus domeſticis, quæ ab exceſſu Patris Jacobi paulo negligentiùs curabantur, aliquatenùs reſtitutis, per Bigorrenſes, & Nebouſanenſes pagos, per Septimaniam, Narbone, ubique exceptus perhonorificè Perpinianum advenit. In urbem hanc ſolemni quadam pompa admiſſus eſt, nec minori deinceps apparatu in reliquas Ca-

taloniæ civitates, Barcinonemque imprimis ipſam VII. Kal. Maij ejuſdem anni eſt receptus.

Paucis poſt adventum in urbem diebus, ſe non ſua expectatione decidiſſe cognoverunt Catalani: tanta enim humanitate, & verborum lepore demulcebat eos Marca, ut quæcumque fauſta fœliciaque ſibi fore ſperaſſent, tanti viri aſpectu cumulatè jam obtigiſſe aſſequuti viderentur, & non modò qui Regis erant obſervantiſſimi, ſed etiam qui Hiſpanorum partibus ſecretò ſtudebant, novum advenam Miniſtrum & corde, & opere non venerari non poterant. Ille verò pro more ſuo nihil niſi priùs imploratâ divinâ ope quicquam agrediendi, plurimis pietatis officiis, exomologeſi, & ſacra ſynaxi inſtructus quæ ſibi delegata erat, provinciam feliciter auſpicatus eſt.

Agebat tunc temporis Barcinone Perilluſtris Marchio de la Mote-Oudancourt Franciæ Mareſcallus, Caſtellanorum terror victorque ſolitus, & Cataloniæ Prorex. Verùm cùm ad eum ſpectaret imprimis armorum cura, octavo circiter poſt noſtrum eam in urbem adventum die, ad exercitum, cui præerat, ſe contulit irrumpentium in Provinciam Caſtellanorum conatibus obſtiturus, ſed adverſis tum avibus: Nam quum nondum ſupplementa copiarum appuliſſent, iniquiori prorſus acie, rectè licet inſtructa cadendum fuit, magnaque ſtrage laboratum eſt.

Enimverò temporibus illis excelſo opus eſt animo. Non cecidit ſuo Marca, quum per quem-

dam ex Mareſcalli cuſtodia veredis vectum infauſtum accepit exitum prælij. Quoſdam fortè vocaverat in prandium ea ipſa horâ nobiles Catalanos qui ſtudiis hoſtium favere, & adverſari noſtris audiebant. Hîc adeſt animo, hortatur inter epulas, quos amicos ſœpiùs nominavit, convivas, & nihil eſſe illam, quam Caſtellani vocabant victoriam aſſeverat, cujus adulterinam ſtrenuiſſimus, & generoſiſſimus Prorex jam jam venturis equitatus, & peditum ſupplementis cum ſalvis veteranorum reliquiis gloriam eſſet deleturus. Non crediſſem ſanè, niſi vidiſſem, virum à teneris annis ſtudio litterarum addictum, armorum & exituum belli rudem, & imperitum tam forti maturoque fuiſſe in hujuſmodi caſu rationis uſu, quo in periculis omnino puſillanimi carere ſolent. Monuerat eum Prorex per Veredarium memoratum, ut ſi priùs exploratis Catalanorum animis ita videretur ei, prioribus ſupplementorum appellentibus copiis juberet occupari fauces Pyrenæi *Portus* vulgo nominatas, quibus Comitatus Roſſilionis à Catalonia diſterminatur, ne Caſtellano milite præoccupatis his anguſtiis aditus Gallis ſic præcluderetur. Marca verò non hac cautione putavit utendum eſſe, ne quid debilitatis aut defectionis in Gallorum animis Catalani ſuſpicarentur. Quod deinde conſilium Proregi prudentiſſimo valde probatum fuit. Quinimò fortiſſimè ſe geſſit: Etenim poſtridie duo Conſiſtoria civitatis Burcinonenſis unum

è ſex viris Conſiliariis appellatis & auctoritate potentiſſimis, alterumque totius Provinciæ ex aliis ſex viris Deputatis nominatis Barcinonem incolentibus compoſita viciſſim cogi curavit, in quorum unoquoque oratione parænetica vario modo habitâ (quam ſic extemporaneam lingua maximè Caſtellanâ ab eo quidem intellecta, non autem uſitatâ unus in pleriſque aliis miratus ſum) his ita dedit animum, ut non modò pecunias erogare, ſed etiam ad auxiliares copias mittendas delectus novos habere, & tyrones conſcribere ſubito decreverint; quod à Caſtellanis acceptum eos à perſequenda victoria deterruit Ilerdæ remotis in finibus Cataloniæ ſitæ ſola obſidione concluſos.

Interim Marca de Conſorannorum Epiſcopatus Pontificiis diplomatibus identidem cogitans ea fœlicem exitum habitura ſperabat, fauſtumque eorum nuntium per ſingulos veredarios expectabat: adverſum enim, de quo jam monuimus, teſtimonium, & Libri de Concordia Sacerdotij & Imperij tituli ſolum additamentum *De Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, Romanorum animos terruiſſe noverat, & ſolas fuiſſe tam longas dilationis cauſſas, quas anxio ſeduloque libri examine per delegatos ab Urbano VIII. facto ſublatas arbitratus eſt.

Porrò præter eam, quæ fuerat ejus opinio de hujuſmodi opere, quod utiliſſimum poteſtati Rom. Sedis exiſtimabat, & in quo non de jure, ſed de

iis

iis quæ variis temporibus inter Eccleſiaſticam atque Principum Juriſdictionem contigerant hiſtoricè ſolùm tractaretur, ſi quid verò de quæſtionibus Juris in eo diſceptatum eſſet in commodum auctoritatis Pontificiæ verteretur, imprimis ita Cardinalium Barberinorũ protectioni & benevolentiæ confidebat, ut de proſpero rerum eventu nihil prorſus dubitaret. Sed, ut ſpe ſua plerumque falluntur homines, expectationi tam ſpecioſæ infœlix Urbani interitus, qui menſe Julio ſequenti contigit, ſtatim interceſſit. Quamobrem candidatus præſul ad Miniſtros Regios reſcripſit, quandoquidem rebus Cataloniæ juſſu Regis invigilaret, & totam ſuam operam daret huic Provinciæ, confirmationem Eccleſiæ Conſorannorum non ſuam, ſed rem deinceps Regis futuram; ſupplex poſtulans, ut ei, qui Regis nomine tunc aderat Romæ, Legato Marchioni *de S. Chaumont*, de novo commendaretur negotium.

Vacavit igitur ea tempeſtate Marca novis poſt ſupplementa copiis excipiendis terra marique Barcinonem appellentibus, & annona pecuniiſque neceſſariis reficiendis, quas ad Proregis auxilium pro virili urgebat. Nec ea fuit cura illius unica. In confirmandis Catalanorum animis Ilerdâ captâ major opera deſiderabatur, tota quippe Provincia hujus cladis pondere contremuit, & audaciores exitu tam inauſpicato perterriti nutabant : neque deerant qui occaſionem opportunam nacti defectionem clam ſuadentes ad Ca-

ſtellæ partes amicos promiſſis, atque terrore vindictæ pellicere conarentur. Hæc omnia ſagacitate ſua ſubodoratus Marca, machinationes, & verſutias hoſtium arte ſua atque induſtriâ profligavit. Magnates urbis, Magiſtratus, & viros nobiles totius Provinciæ, qui Barcinonem ferè ſemper incolunt, quotidie vocabat ad epulas, audiebat libenter querelas populi: qui ſe læſos eſſe putabant, blanditiis ejus deliniebantur, malevolos Gallorum imperio, Caſtellanorum atroci politice, & adminiſtratione deterrebat; & ita ſuis illecebris omnium traxerat ad ſe voluntates, ut qui fraudibus hoſtium deluſi poſt hanc cladem in Gallos conjuraverant, ab eorum cæde Viſitatoris unius gratiâ, quem ex hac tam immani internecione ſalvum & incolumem eripere non poſſe prævidebant, abſtinuerint.

Sub finem anni MDCXLIV. urgente Legato acta eſt Romæ res Eccleſiæ Conſorannorum in Conſiſtorio, ubi Cardinalis Bichius abſente Cardinale Antonio Barberino, quem inviſum habebat tunc Innocentius X. Urbani ſucceſſor, cauſam Electi fortiter tuitus eſt, atque virtutis ejus ſuorumque erga Eccleſiam meritorum præſtantiam tam diſertè commendavit, ut peracturus fuiſſet ſine dubio totum illud negotium, niſi Albicius S. Officij Aſſeſſor id interceſſione graviſſima diſturbaſſet, quòd Librorum prohibitorum indici, *De Concordia Sacerdotij & Imperij* Liber antè, non proſcriptus quidem nulloque judicio damnatus, additus eſſet.

Hic fuit interceſſionis color, ſed vera cauſſa rejicienda eſt in Regis Hiſpaniæ Legatum, qui, ut ita ageret, Albicio diligenter inſtiterat, ne ſumma, quæ de Marca erat, Catalanorum opinio, atque auctoritatis commendatio novæ dignitatis, quam illi religioſiſſimè venerantur, acceſſione cumularentur; Et ne tota Provincia ſuis Epiſcopis, qui vel in Caſtellam receſſerant, vel è vita exceſſerant, orbata, novo Epiſcopo recrearetur, atque ita, qui Confirmationis ac Ordinum Sacramentis inaugurari vellent, voti ſui nullo modo compotes fieri poſſent. Verumtamen non prorſus inutilis fuit Bichij diligentia: Decretum enim fuit in eo Conſiſtorio, ut is liber ſeriò perlegeretur, & quatuor Cardinalibus Franciſco ſcilicet Barberino, Spadæ, Pancirolo, & Rapaciolo totius examinis cura commiſſa fuit, cujus referendi onus impoſitum ſibi Barberinus libentiſſimè ſuſcepit. Sed adverſæ fortunæ nova ſucceſſit infœlicitas. Revocatur à ſua Legatione Marchio, & Barberinorum quibus innitebatur Marca, & quorum alter Antonius ſcilicet tertiò poſt exaltationem Innocentij menſe in Galliam ſeceſſerat, auctoritas frangitur, malevolis apud Summum Pontificem eos perperam inſimulantibus; qui quidem novi caſus alienorum negotiorum Romanis, propriorumque Epiſcopo Nominato tarditatem innatam, iſte licet alienis diligentiſſimè proſpiceret, tantùm auxit; ut per totum anni ſequentis initium de litteris Apoſtolicis vix

cogitaret, eo magis quo vivente adhuc Brunone Ruada Sedes Conſorannorum non derelicta penitus videbatur, ideoque minùs in mora gregis periculum.

Cataloniæ Prorex eodem tempore rediit in Galliam acceptâ à Rege facultate, ſicque penes Marcam poteſtas omnis relicta eſt, & litteris Regiis ad eum peculiariter delata; juſtitiæ licet Conſtitutione municipali ſolis indigenis diſtribuendæ vacaret Gubernator Margaritus Marchio de Aguilar, ex illuſtri & antiqua Margaritorũ familia plurimis Epiſcopis, & Cardinale Margarito ornata. Quod ita ſe habuit, ut auctoritate Viſitatoris ſimul & Miſſi Dominici noſtri ſtationes ad hiemales omnis exercitus mitteretur. In ea adminiſtratione nullus illi labor, & ab omnibus incredibili facilitate ſeſe expediebat. Unicũ erat quod eum vehementer cruciaret, ærarij ſcilicet, qua fungebatur, præfectura, tum quod cujuſcumque lucri ſemper alienus, à pecuniarum adminiſtratione naturaliter abhorreret, tum quod earum penuriâ, quâ tunc laborabat exercitus, ad mutuo flagitandas à civitate Barcinone, cui gravioris ſummæ jam ante nomen ſuum dederat, penè quotidie ſe teneri perſpiceret. Quapropter, quam plerique flagrantiſſimè cupiunt ad augendas privatas facultates, ut ſœpiſſimè contingit, hâc ſe abdicari cura litteris ſuis ad Regios Miniſtros datis, & alteri demandari iterum iterumque poſtulavit. Voti compos factus anno ineunte, atque altero miſſo

ærarij Præfecto, qui tamen agere nihil abſque ejus facultate, quandiu Barcinone verſaretur, juſſus erat, cœteris fore ut faciliùs negotiis, & imprimis orationi vacaret, ſicut ipſe dicebat, ſperare cœpit.

Eodem anni ſcilicet MDCXLV. principio novus Cataloniæ Prorex Comes Harcurtius ex Lotharingiæ Ducum familia princeps pervenit Barcinonẽ cũ peculiari mandato, ut in omnibus, quæ ad Provinciæ, exceptis armis, adminiſtrationẽ pertinerent, Viſitatoris conſiliis uteretur. Imperatis morem geſſit ille, nec eum pœnituit quem omnibus quæ rectæ procurationis erant, inſtruxit Marca, & ſine dubio res in eo principio fœliciſſimè ſucceſſit. Ivit ad exercitum Prorex menſe Maio, & interim Marca duplici, & vario fuit eodem temporis momento jactatus eventu. Ruada quippè ad Carthuſianos ſuos Toloſates ſe receperat; & ibi fato functus Conſorannorum Eccleſiam viduam penitus reliquit: Gravi quoque morbo per menſem integrum laboravit Marca, ex quo cum cõvaluiſſet, novis Nominationem ad Eccleſiam Conſorannorum, ut obitu Ruadæ vacantem continentibus Regiis litteris, priores vi Renuntiationis conceſſas confirmari poſtulavit, quód, ut optavit, actum ſubitò, necnon ex parte Regis ei qui Legati loco Romæ procurabat negotia mandatum, ut ejuſmodi Nominationis Confirmationem vehementer urgeret. Scripſit ipſemet quoque novam ad Innocentium. X. Epiſtolam,

quâ eam enixe poſtulavit, & alterâ Cardinalem Franciſcum Barberinum, ut quamprimùm negotium ſibi delegatum referret, rogavit. Sed ut ait vetus Poëta, *ipſa dies quandoque parens, quandoque noverca eſt*, paucis poſt menſibus Barberinus fortunâ mutatâ, cum delegatum ſibi munus coram aliis Cardinalibus proxima quaque die perſolvere vellet, in Galliam ſe recipere cogitur, & ita Conſorannorum Eccleſia per reliquùm annum & ſequentem MDCXLVI. ut inferius dicemus, vidua relinquitur.

Advertit eodem ipſo anno Marca, Catalanos ordinibus Eccleſiaſticis initiandos, cótra quod erat prohibitum, Caſtellanos Epiſcopos extra provinciam adire, ut ab iis ordinarentur. Accepit etiam Indigenas conquerentes, quòd Epiſcopalibus muniis & imprimis ſacramento Confirmationis privarentur. Quamobrem, ex duobus Epiſcopis ad Eccleſias infidelium adminiſtrandas ordinatis Babilonienſi, & Bethlëemenſi alterum Epiſcopi vices acturum, ſi ita Regi videretur, mitti in Cataloniam poſtulavit, atque reditus Eccleſiaſticos ex Eccleſiis vacantibus, vel ex iis quæ ad proſcriptos Epiſcopos, & alios è provincia Clericos exules pertinebant jam ante manu Regia captos (ex quibus ampla ſtipendia confici poſſent Epiſcopo venturo) non deeſſe monuit. Non irritum fuit conſilium: Etenim anno ſequenti miſſus fuit in Cataloniam Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Bernardus à Sancta Thereſia ex diſcal-

ceatis Carmelitis Epiſcopus Babylonis ordinatus Sacrarum Concionum Orator celeberrimus, ut Confirmationis Sacramento, & ordinibus conferendis navaret operam.

Interim Prorex devictis & fuſis Hiſpanis rediit ab exercitu quem in ſtationibus hyemalibus poſuit. Poſt ejus in urbem reditum egit cum Marca de iis quæ ad Adminiſtrationem provinciæ & politices exercitium pertinent. Actum imprimis de dignitatibus Eccleſiaſticis, & muneribus laicis vacantibus, & de perſonis quæ iiſdem eſſent præficiendæ. Noverat omnes Catalanos Marca, & quos his occupationibus dignos arbitrabatur cùm propter indubitatam erga Regem fidem, tum propter mores & litteras, quibus aliis præſtabant, iis ornari & remunerari cenſebat. Idem erat Proregis conſilium, ut ſcilicet benemeritis dignitates atque munera conferrentur: Sed quidam fœdiſſimi & tenaciſſimi lucriones rebus non heri, ſed ſuis conſulentes eum à vero, quem ſibi propoſuerat ſcopo & à conſiliis Viſitatoris abducere, machinationibus & artibus ſuis tentaverunt, quod ut faciliùs conſequi poſſent duobus pernicioſis mediis uſi ſunt. Primò Catalanos quoſdam perditis moribus viros in amicitiam Principis ſub utilitatis publicæ ſpecie vocabant, eoſdemque litteris Proregis ad Regem datis dignitatibus Eccleſiaſticis inſigniri curabant, electionem hujuſmodi noſtro Præſuli non probandam perſpicientes. 2. Rixas inter Viſitatoris neceſſarios & harum

dignitarum ambitioſos commoverunt, ut Proregem ab ejus Conſiliis penitùs averterent. Quibus ſaudibus res iis ſatis fœliciter proſpereque per quoſdam menſes cecidit. Verumtamen qùum Generoſiſſimus Prorex poſt finem anni ſe ad reditum in Galliam obtentâ facultate compararet, nihil inconſulto Viſitatore facturum, ut ipſe mihi Princeps retulit, ſi remanſiſſet diutiùs in Catalania, ſtatuerat.

Porrò quum idem Princeps Harcurtius Gallorum exercitum eodẽ anno MDCXLVI. ad obſidionem Ilerdæ duxiſſet, ubi ſex circiter menſes improbos perpeſſus eſt labores, deditionem urbis & arcis fruſtra ſingulis diebus expectans exploratorum, vel ut ſatius dicam, proditorum fraude, qui eas annonæ caritate laborare falsò renuntiabant, Marca vigilabat Barcinone, ne civium animi diuturnioris obſidionis tarditate frangerentur, neque Caſtellanorum fraudibus atque verſutiis à jurejurando fidelitatis, quo erga Regem Chriſtianiſſimum ſeſe obſtrinxerant, deficerent. Non fuerunt vanæ & inutiles hujus excubiæ: nam eâdem æſtate Conjuratores improbi nefariam in cives fideles, & in eum ipſum imprimis, peſtem machinati fuerant, & ingentis Hiſpanorum Claſſis navibus & remigibus inſtructæ quæ portum obſedit, auxilio, conjurationem tam horrendam ad exitum perducturos ſe facile ſperabant. At eam Marca ſubodoratus frequens adibat Civitatis & Provinciæ conſiſtoria, atque orationibus

tionibus elegãtibus Conſiliarios urbis, & Cataloniæ Deputatos hortabatur ſub ſpe deditionis Ilerdæ proxima quaque die futuræ, alloquebatur privatos viros, armatos cives in ſtationibus diu noctuque luſtrabat per muros, ſemper aliquid pro urbe tuenda aut faciebat aut dicebat, atque ita animum eiſdem cum fideliſſimi & nobiliſſimi Margariti Cataloniæ Gubernatoris ope addidit, ut tota hæc claſſis intra tres dies obverſis mari proris è portu noctu ſolverit.

Quas grates egerint Viſitatori ſuo Barcinonenſes poſt hoſtium receſſum, quem potiſſimum ejus curæ tribuebant, ſuperat omnem fidem: Omnes enim illum Civitatis ſimul & patriæ Conſervatorem appellabant, & catervatim, ut eo nomine ſalutarent illum, conveniebant. Diffidebant ſibi mutuò Concives, quòd plures Caſtellanarum partium Cultores latere ſuſpicabantur in urbe, ſolumque Marcam liberum & immunem ab hac ſuſpicione venerabantur. Hac tempeſtate, plurimi verbis, & ſecretis ſcriptis in ſupremi Conſilij Cataloniæ Senatores & alios Judices querebantur, ut Marca Viſitatoris auctoritate in eos animadverteret, ſed is prudentiâ ſolitâ tempora, quam par erat, difficiliora, ut id ageret, arbitratus eſt; eorum enim miniſterio ad perſcrutandas hoſtium machinationes, & inveſtigandos puniendoſque latentes conjuratores opus eſſe ſagaciter conjiciebat, ut futurus probavit eventus. Verumenimverò magis eum ab hujuſmodi fun-

ctione muneris avertebat ſumma eorum, in quos ſævire opus forſan erat, erga Regem fidelitas, cujus cauſæ erant ſtudioſioſiſſimi, ut pote quibus ſpes omnis & ratio ab ejus clementiâ, protectioneque penderet.

Porro totus licet in inquirendis & perſcrutandis tota provincia atque imprimis Barcinone perduellibus verſaretur Marca, ſœpiſſime reflectens animum in longiores Romanæ Curiæ moras quibus Conſorannorum Epiſcopatus confirmatio retardabatur, edidit in lucem Libellum jam exaratum Barcinone, quo præcipua libri de Concordia Sacerdotij & Imperij loca, in quibus aliquid difficultatis ineſſe poterat dilucidiùs explicavit, & totum opus ſummi Pontificis cenſuræ ſubmiſit, deinde eumdem ad Innocentium cum ſua ad hoc Epiſtola tranſmiſit. Ad Eminentiſſimos quoque Delegatos litteras ſcripſit, Libelli exemplari adjuncto, ut eo perlecto totius operis mentem facilius perſpicientes quàm Eccleſiaſticæ auctoritati nihil detraheret, imò potiùs faveret, ad ſummum Pontificem referre poſſent.

Poſt liberatam ab Hiſpanis Ilerdam Exploratorum proditione rediit Prorex in urbem, ubi ſeriò cum Marca noſtro indagandæ conjurationi dedit operam, fœliciuſque hæc perquiſitio, quàm obſidio cecidit: quidam enim ex Conjuratoribus prodierunt in lucem, quorum alij debitas perduellioni pœnas Conſilij ſupremi decretis dederunt, ſed cum aliis mitiùs actum Proregis

clementiâ ; Major autem eorum pars latuit, quod altiùs res penetranda non viſa fuerit contra mentem Viſitatoris, qui magni ſentiebat eſſe momenti, non amitti tam opportunam Regis amicos atque inimicos penitus agnoſcendi occaſionem. Hæc quidem peracta fuerunt ſub finem anni MDCXLVI. & ſequentis initium, quo Harcurtius in Galliam redeundi facultatem habuit.

Succeſſit illi Princeps Condeus acturus vicem Regis in Catalonia, qui quum ingenti animo ſit & ingenio perſpicaci, cóſeſtim præſtantes Viſitatoris dotes & fortiſſimam ingenii vim agnovit, atque ſingularem ejus in rebus provinciæ procurandis induſtriam. Quare nihil eo inconſulto ex iis quæ ad politicem pertinent, decernere ſtatuit, atque ea prorſus agendi ratione uſus eſt ; ut adminiſtratio Reipubl. ſub eo Principe geſta Catalanis omnibus probaretur. Ejus animi magnitudo, majeſtas, amplitudo & ſapientia in omnium ore verſabantur. Dignitates Eccleſiaſticas, munera, & bonorum Regis fiſco adſcriptorum reditus benemeritis Princeps diſtribuit, delubra furore Caſtellanorum incenſa piè atque prudenter inſtauravit, & ornamentis Eccleſiaſticis decoravit ; fuitque acerrimus diſciplinæ militaris exactor, copias omnes ad eam diligenter obſervandam adducens & monitis & pœnis, ſicque omnes quæ fuerunt olim defectionis à Rege Caſtellæ, cauſſas prudenter amovit. Unde Catalani, ſi Condeus Princeps in poſterum Provinciam ad-

miniſtraret, nemo ut ex iis in Regis Caſtellæ ditionem redire vellet palam fore profitebantur.

Inter hæc Marca de Conſorannorum Eccleſia ſollicitus ſcripſerat ad Cardinales delegatos, ut ſi illis videretur, operâ Patris Dianæ ex Theatinorum ordine peritiſſimi Canoniſtæ & Clariſſimi illius ætatis ſcriptoris ad examinandum *de Concordia Sacerdotij & Imperij* librum uterentur, illum tametſi, nonniſi librorum ab eo editorum lectione noviſſet, tantum ejus eruditioni ſoli de ſuo libro judicium credens, & Canonum, quos callebat, notitiæ. Quod quum peractum fuiſſet, ut monuerat, Diana pervoluto libro ſummas ei laudes tribuit, & Eccleſiæ ſedique Apoſtolicæ perutilem eſſe ad eos renuntiavit, ut Bancharius, cui Marca res promovendæ curam commiſerat, ad eum reſcripſit, fœlicis Confirmationis exitus futuri ſpem faciens.

Abiit Princeps ad obſidionem Ilerdæ ineunte Maio ejuſdem anni MDCXLVII. & Marca ſolito more Barcinone excubans accepit Româ litteras ſummi Pontificis juſſu ſcriptas, quibus in eorum ſententiæ, qui hocce temporis primatum Eccleſiæ Petro & Paulo æqualiter tribuebant, refutationem eum hortabatur: Unde illo, dequo ſuperiùs diximus teſtimonio, ſoloque *De libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ* titulo deluſam fuiſſe Congregationem de Indice renuntiatione peritorum virorum recentiùs habitâ cognoviſſe ſummum Pontificem, intellexit; atque eo novo opere veluti

penſo quodam Confirmationem Eccleſiæ Conſorannorum proximè futuram ſibi redimendam eſſe: Sic etiam ſuam Sedi Apoſtolicæ probatum iri fidem arbitratus eſt. Itaque votis ſummi Pontificis annuens, libris licet neceſſariis ad excerpenda loca, quibus uſurus erat, (perpauci enim ex illis in Catalonia reperiebantur) careret, eruditiſſimam de ſingulari Primatu Petri Exercitationem lucubravit, ſuaque memoriâ Bibliothecam ſupplevit; quam quidem Exercitationem fœliciter abſolutam ad ſummum Pontificem miſit.

Quæ dum peraguntur labori nullomodo parcẽs Indigenarum, & imprimis civium Barcionenſium animos explorabat ſecretò, fortes & fideles fovebat, & timidos expugnandæ breviùs Ilerdæ ſpe adeò confirmabat, ut apparens in mari hac etiam æſtate Caſtellanorum claſſis ſecretis perduellibus inutilis fuerit. Rebus omnino Barcinone compoſitis ad inviſendum Principem, qui dimiſſâ tum Ilerdâ, & caſtro Agenſi vulgò *de Ager*, operibus & munitionibus ſepto coram exercitu Caſtellanorum fortiter expugnato, & Tarracone vallo quodam munitiſſimo refrenatâ apud Borias vicum non procul Ilerda caſtra poſuerat, Marca profectus eſt, Pobleti monaſterium Ciſtercienſis Ordinis antiquorum Barcinone Comitum ſepulcro nobile perluſtravit, Bibliothecam & tabularia, quæ illic cuſtodiuntur, pervolvit, & antiquitates locorum in tota illa peregrinatione indagans, quaſdam Plinii, Melæ, & Strabonis hal-

lucinationes in deſcribendis illius Provinciæ populis animadvertit, unde luculentum opus annis ſequentibus obſervationum Geographicarum edendi profluxit conſilium, ut inferius dicemus. Sed hoc iter menſe Julio confectū eſt, tam æſtuoſa & fervente via, ut in reditu graviſſimo morbo correptus fuerit, quo per menſem, eoque diutiùs Barcinone cum imminenti vitæ periculo laboravit. Princeps verò tanto erat ejus virtutum & exiſtimationis incenſus amore, & tanti momenti ejus incolumitatem eſſe ſentiebat, ut hoc morbo graviter accepto poſt miſſos quotidie qui de valetudine ejus ad ſe referrent, ipſe etiam quantociùs licuit, ad inviſendum ægrotum ſe contulerit Barcinonem velociſſimo curru vectus, unde paucis poſt diebus, ubi ſenſit abeſſe à morbo vitæ diſcrimen, in caſtra reverſus eſt.

Nihilo leviorem Catalanis hic morbus attulit moleſtiam. Sacerdotes Miſſarum ſacrificiis, laïci verò privatis deprecationibus à Deo ſingulis diebus, & horis, ejus valetudinem efflagitabant. Fuerunt quidam ex præcipuis Barcinone civibus, qui ad clariſſimum Deiparæ Monſerratenſis templum triginta circiter ab urbe millibus voti rei pro recuperanda illius valetudine pedibus ſe contulerunt. Sed ipſa Barcino voto publico ſe teneri putans, duodecim Capucinos ex una parte, & duodecim Virgines ex alia nudis pedibus, ut ſe ſua ſic ſponſione liberaret, eò miſit. demùm ſanctum Euchariſtiæ Sacra-

mentum publicâ ſupplicatione per præcipuas Parrochiæ vias illi delatum eſt. Memoria digna eſt oratio, quam licet in extremis poſitus habuit Latinis verbis coram adorando Chriſti carnis pabulo tamquam τῷ ἐφοδίῳ illi porrecto. Recoluit eleganter omnia fidei Chriſtianæ capita, atque imprimis præſentiam Corporis Chriſti realem in illo profeſſus eſt, non ſolùm peccata, quæ exomologeſi Generali ante depoſuerat, clavibus Ecſiæ, verumetiam omnia ſua ſcripta, & opera Summi Pontificis auctoritati ſubmiſit. Utinam omnia, quæ optimus Conſobrinus tum diſſeruit, memoriâ complecti poſſem ſicut audivi, publici juris ut ea facerem. Hæc ab eo ſcribi recuperatâ valetudine peroptavi, atque ſœpiùs ab eo enixè poſtulavi, ſed id agere modeſtiâ ſolitâ recuſavit.

Id ſanè non prætermittendum arbitror, quod notatu dignum videtur, per totum videlicet morbi tempus, niſi cum acerbius conflictabatur ab inquirendis,& præcipiendis adminiſtrationis ſuæ negotiis, & à litteris ad Adminiſtros Regis conſcribendis per eos quos habebat à ſecretis, ſeu dictando ſingula verba, ſive ſumma capita præcipiendo numquam abſtinuiſſe, hoc licet per medicos agere vetaretur.

Porrò Condeus Princeps fugato Catholici Regis exercitu Victor Barcinonem rediens perfectè convaleſcentem Viſitatorem reperire gaviſus eſt, atque eo ad conſilium vocato proviſum eſt om-

nibus quæ ad adminiſtrationem Provinciæ neceſſaria videbantur, quibus expeditus ſumma poteſtate in Marca repoſita, conceſsâ ſibi facultate reverſus eſt in Regium Comitatum. Poſt diſceſſum Principis duplicatâ curâ proſpiciens omnibus Marca ſedulò & diligenter ſingula expendebat negotia. Sed imprimis curæ fuit, ut pro reſtitutâ ſalute Deo, Beatæque Virgini cujus precibus à mortis faucibus ereptum ſe fatebatur, gratias acturus ad Monaſterium Montis-Serrati proficiſceretur, in quod menſe Novembri ejuſdem anni MDCXLVII. pervenit magno Abbatis, & omnium Monachorum gaudio, ubi ſacram ſynaxim à me recèns initiato Sacerdote ac tum primùm ſacrificante accepit, ac pro valetudinis reſtitutæ memoria ad ſacros ordines, & Sacerdotium ipſum ſuſcipiendum, ſive litteræ confirmationis Eccleſiæ Conſorannorum darentur, ſive negarentur, voto ſeſe obligavit. Ibi vetuſtam Deiparæ imaginem & miraculis celebrem, ſacras ædes, alia omnia loca ſacra, diſſitaſque à ſe invicem ab ipſo Monaſterio Eremitarum domos, per ſaltus & avia Abbate comite, viribus licet à morbo nondum omnino recuperatis pedes ipſe luſtravit; ubi etiam unumquemque ex bonis, & piis illius montis Eremicolis ſuum peculiarem hortum & fontem, domumque ex veſtibulo, aula, cubiculo & oratorio in ſacelli formam adornato, compoſitam in præruptis ſaxis habentem miratus eſt, aviculas quo-

que

que ſylveſtres illis familiares, atque pilis barbarum, quas habere ſolent admodum promiſſas, tanquam ramuſculis arborum inſidentes & circumvolitantes, quæ ne in illa quidem hominum mulierumque frequentia, qui votorum perſolvendorum cauſâ illuc accedunt, unquam avolant. Non minùs admirationis habuit, quum oculis innumera lampadum, & candelabrorum inſolitæ magnitudinis & altitudinis, atque aliorum vaſorum aureorum & argenteorum, necnon gemmarum pretioſarum, & ornamentorum ad uſum templi in ejus ſacro Gazophylacio, aſſervata ſuppellex occurrit, in quibus duæ coronæ imperiales, duorum utraque palmorum diametro conſtans, quarum altera pluribus circulis adamantium, altera ſmaragdorum Orientalium ingentis, & variæ magnitudinis in apicem rotundum deſinentibus meo quidem judicio reliquis præſtant.

Tribus poſt diebus Barcinonem redivimus, ubi Marca totus ad pietatis, & politices officia, ſicut ſolebat, ſtudio incumbens, accepit litteras Romæ ſcriptas, quibus Exercitationem, quam de ſingulari Primatu Petri eò miſerat, acceptam & pergratam fuiſſe ſummo Pontifici, & quamprimum atque proximo fortè Conſiſtorio Conſorannorum Eccleſiæ præficiendum eum eſſe ſperari poſſe nuntiabatur, plerique licèt non deeſſent Romæ, qui auctoritati Romanæ Sedis infenſum eſſe eum inſimularent.

Cœterùm quod Montis-Serrati Deo ſpoponderat in memoriam revocans, ut quamprimum, & extra tempora à jure præſcripta ad quatuor Minores, & ad omnes ſacros Ordines promoveri poſſet litteris Romam ſcriptis facultatem Apoſtolicam, quam Indultum Romani vocant, poſtulavit: erat enim jam ante, ut ſuperiùs monuimus, Clericali charactere inſignitus.

Interim ex Monaſteriorum S. Benedicti, quæ plura ſunt in Catalonia, & Eccleſiarum Cathedralium, ac Collegiatarum Tabulariis fundationum, donorum, & dotationum excerptas chartas ad ſe afferri curabat, ut iis ſuo tempore, & cùm liceret per otium, uteretur, ita ſui temporis momenta ſingulis occupationibus attribuens, ut à negotiis Procurationi Provinciæ debitis, & imprimis à demulcendis Optimatum animis, qui accuratâ perduellium inquiſitione territi fuerant, numquam temperaret. Anguſta re domi laborantes, pecuniis fiſci, & ſuis etiam miſeros, ſublevabat: Neque profectò, ut opinor, ad miſeriis calamitatibuſque oppreſſis ſubveniendum illo propenſior ullus inveniri poteſt.

Porrò qui æquâ lance omnia ponderat, ſuum cuique tribuit, & ſolis lumen cum mercedis tempore metitur Deus Optimus Maximus, quos in Eccleſia, & Republic. tuenda poſuerat, labores Marca, vacuos & ſine fructu relinquere noluit: Conſorannorum Epiſcopus à quatuor jam annis deſignatus annuente tandem Sũmo Pontifice conſtitutus

eſt in Cóſiſtorio Idibus Januarij anni MDCXLVIII. habito. Gratiſſima fuit Epiſcopo Candidato, ut cuique ſibi perſuadere licet, hujus Confirmationis epiſtola nuntia, quam ineunte Februario ſequenti fœliciter accepit, atque gratiis Deo pro tam fauſto exitu redditis, de ſuſcipiendis Ordinibus ſubitò cogitans poſt acceptũ Indultum Apoſtolicum, de quo ſuprà diximus, ut à quocumque Epiſcopo, & quolibet tempore ſacris inaugurari poſſet, Illuſtriſſimum Babylonienſem Epiſcopum in Provincia Cataloniæ Gerũdæ Pontificia munia obeuntem, ut eadem facturus Barcinonem veniret, rogavit. Quod peractum fuit menſe Martio ſequenti, tunc enim quatuor Minores Ordines, & duos Priores ſacros, Preſbyteri verò ſacrum ordinem IV. Nonas Aprilis ab eo accepit. Gaviſus eſt magnopere Marca, ut ipſe mihi illic tunc agenti ſignificavit, ſe Preſbyterum etiam factum fuiſſe Barcinone, ubi S. Paulinus qui fuit Epiſcopus Nolæ, Preſbyter olim fuerat ordinatus, fuitque hoc fœlix exemplum gratiſſima preces illius ad Deum in ipſamet ordinatione flagitandi anſa, atque tunc & deinceps illum in omnibus tanquam Patronum & Protectorem ſuum invocavit. Ad Preſbyteratum provectus de illo ordine quantociùs exercendo ſollicitus fuit, & breviſſimo quàm potuit intervallo temporis comparatus, Miſſæ ſacrum in Monaſterio Capucinorum Sanctæ Eulaliæ dicto ad Barcinonem prima vice fecit.

Pervenerat Barcinonem etiam menſe Martio ejuſdem anni, ut Proregis munere fungeretur, Eminentiſſimus Cardinalis à Sancta Cæcilia, Regij Adminiſtri frater, & Illuſtriſſimus Hyacinthus Serronius Arauſicanus, nunc verò Mimatenſis Clariſſimus & Illuſtriſſimus Antiſtes ejus comes, quorum adventum fauſtum, proſperumq; ſibi futurum Marca ſperavit duplici capite. 1. Quòd rerum quibus præerat adminiſtratio ſibi valdè placeret ſub eo Prorege, quem ſuis conſiliis juvandum, & iiſdem adhærendum monuerat Cardinalis Mazarinus frater. 2. Quòd ejus conſecrantis, & duorum aliorum Epiſcoporum Babylonienſis, & Arauſicani aſſiſtentium miniſterio ſe Epiſcopum ordinari poſſe putavit. Enimverò utrumque ex adverſo, & infortunatè cecidit: Novus enim Prorex brevi procuratione uſus eſt; & antequam Præſulem Candidatum conſecraret, non expectatâ Regis facultate menſe Junio ſequenti Romam profectus eſt, ubi fœlices annos & ultimum clauſit diem. Quid facturus Marca? ſupererant enim tunc in tota Catalonia reliqui duo tantùm Epiſcopi, & Babylonienſis eorum alter brevi poſtea cum Regis venia reverſus eſt in Galliam, Arauſicano, ut ejus loco confirmationem, & ordines in Catalonia deinceps conferret cum Vicariorum Generalium per Diœceſes facultate, relicto.

Jam ab anno Marca de ſuo in Galliam reditu ſeriò cogitabat, longius enim quam par erat, à ſua

Eccleſia, atque ab iis occaſionibus quibus Eccleſiæ univerſæ prodeſſe potuiſſet, abeſſe ſe intelligebat. Quapropter frequentibus, quas de rebus Provinciæ ſcribebat, litteris Perilluſtri Viro Tellierio à Secretis Regiis, nunc fideliſſimo etiam & peritiſſimo Regis Adminiſtro de tam infœlici ſorte expoſtulare ſolebat, nullam rationem ſui abſentis haberi, nec unquam ſe Conſorannorum Eccleſiæ præfuturum, niſi à Catalonia recederet conſtanter aſſeverans. Sed tantam animi ægritudinem ſolabatur vir ampliſſimus & ſummæ in illum benevolentiæ, pollicitus Regis & Reginæ Regentis Matris nomine, non illi defuturam opem, & mercedem uberiorem, quibus coram & Cardinali Mazarino totas uno tenore perlegere ſolebat litteras Candidati Præſulis, cui quantum in hac parte faveret, & prodeſſet conjicere licet: erant enim accuratiſſimæ, & ſtylo gratiſſimo ſcriptæ Epiſtolæ, & quæ in lucem edi mererentur. Hæ quoque ſummâ curâ cuſtodiuntur à præſtantiſſimo Adminiſtro, noſtri Antiſtitis, & ſuorum perpetuo adjutore & fautore. Mazarinus etiam ad diuturnam & continuam, quæ frequenter contingebant in Catalonia, difficilium rerum perpeſſionem eum hortabatur, & Eccleſiam Conſorannenſi potiorem atque laborioſiorem proximè vacaturam ad Majorem Eccleſiæ univerſæ utilitatem promittebat.

His nullatenus illecebris irretitus Marca, ſed juſſu Regis ſibi remanendum in Catalonia diu-

tiùs quàm optabat, intelligens, adeundi ſaltem Narbonam,ut ordinari poſſet Epiſcopus ejuſdem. Adminiſtri Perilluſtris ope facultatem à Rege petiit, quæ quidem illi conceſſa eſt; ita tamen ut eo abſente reſpublica nihil detrimẽti capere poſſet, hacque conditione non impediri Narbonis iter. Itaque tametſi Schombertus Franciæ Mareſcallus & novus Cataloniæ Prorex brevi poſt tempore Barcinonem ingreſſus eſſet, quòd illinc tamen ſubitò diſceſſiſſet ad obſidionem Dertoſæ jamdudum Principis Condei juſſu paratam & inſtructam, & à Marcino recens inchoatam, Barcinonem incurſibus maritimis, & dolis hoſtium patentem non derelinquendam hocce temporis arbitratus eſt Marca, ſed opportuniùs eundi Narbonem tempus expectavit. Interim Barcinone ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium frequenter faciens, & aliis plurimis pietatis operibus ſedulò incumbens erga Regem Regum priùs munere debito perfunctus, Regio miniſterio ſolitam diligẽtiam adhibebat, nullo prætermiſſo die, quo non aliquot ex præcipuis civibus blandiretur, alios ad epulas vocando, cum cœteris humaniter & benignè ita colloquendo, ut creſceret in dies virtutum ejus fama, ſua licet lectioni librorum, vel lucubrationis hora non deeſſet.

Dertoſâ fœliciter expugnatâ, & Catalanorum animis validiùs hoc exitu confirmatis nil ſupereſſe periculi cenſuit, quin à Catalonia per aliquot dies abeſſe poſſet. Diſceſſit igitur ex urbe Barci-

nonenſi menſe Octobri ejuſdem anni MDCXLVIII. & eodem Narbonam ingreſſus benigne fuit exceptus à viro Nobiliſſimo Claudio Rebeo perilluſtri & Reverendiſſimo hujus civitatis Archiepiſcopo, cujus opera, duobus Epiſcopis Bitterenſi ſcilicet & Alectenſi Suffraganeis aſſiſtentibus, Conſorannorum Epiſcopus ordinatus eſt. Unde duobus poſt diebus recedens, ægrè admodum tulit, quòd viri eruditiſſimi & amiciſſimi Franciſci Boſqueti ad Lodovenſem Eccleſiam nominati, & à ſummo Pontifice confirmati futuræ intra octo dies ordinationi intereſſe ſibi per inſtantem redeundi neceſſitatem non liceret. Rediens igitur in Cataloniam Perpiniano tranſiit, ubi Confirmationis Sacramentum ut conferret à Capitulo Cathedralis rogatus, à multitudine eum undequaque videndi cauſâ ambiente ferè compreſſus eſt; deinde iter proſecutus eſt Elna Epiſcopali & antiqua civitate, Rhodis quoque ad ſinum ampuritanum arce munitiſſima; quibus diligenter inſpectis, & ſitu locorum obſervato, per loca ad mare adjacentia Barcinonem reverſus eſt initio Novembris ſequentis: ubi majores quàm ante honores illi habiti ab indigenis, qui dignitatem Epiſcopalem cum tot animi dotibus & virtutum præſtantia conjunctam in eo venerati ſunt.

Abierat ex Catalonia jam ante Schombertus Prorex ad Comitatum, & ſumma rerum poteſtas penes Marcam quantum per Cataloniæ jus municipale licebat, relicta eſt, reſervatâ Marcino

armorum adminiſtratione. Laboravit per totam hyemem & totum ſequentem annum MDCXLIX. exercitus pecuniarum, annonæque penuriâ, confectis vel potiùs extinctis omnino ſtipendiis, ærarioque militum exhauſto, & ex Gallia nullatenus ſuffecto propter bellum civile Pariſiis eâ tempeſtate motum. Quare Marca Civitatis, & Deputationis conſiſtoria confeſtim adiit, quibus eloquentiâ ſolitâ fortuitas & extemporaneas hujus inopiæ cauſſas brevique ceſſaturas expoſuit, futurumque dixit, ut quamprimum, quibus teneretur Rex, illis nomina ſolverentur. Interim annonâ penitus deficiente redactus erat ad eas exercitus anguſtias, ut in Galliam, ſi edere vellet, eſſet illi redeundum: neque enim fas erat indigenarum expenſis victum ſibi comparare. Actum erat de Catalonia, niſi imminens exitium ſua providentia Marca prorſus avertiſſet. Itaque Margaritum, Ardenium Comitem Illienſem, & alios hortatus eſt ut ſuo exemplo de ſuis quiſque pecuniis conferret aliquid, quo præſenti neceſſitati ſubveniretur, quod fecit tam ſuaviter tamque efficaciter, ut unuſquiſque ex illis, & omnes ſimul donec annonariæ pecuniæ rebus pacatis ferrentur ex Gallia pro virili quantum ſatis erat ad alendos milites libenter erogaverint; Sicque ſalva fuit provincia, & præcluſus in illam hoſtium aditus. Meminique, virum optimum, ut ſuppeterent illi contribuendi facultates, omnem argenteorum vaſorum;

quæ

quæ illi erant, ſuppellectilem dediſſe pignori, atque per annum integrum ſolis ad veſcendum in menſa fictilibus uſum.

Erant hæc equidem tempora difficillima, & magis in dies flagrabat novus Antiſtes Eccleſiam Conſorannorum adeundi ſtudio, ut officio ſuo non deeſſet: Facultas autem illi ſemper eundi negabatur, nemo quoque deſperatis adeo rebus in Cataloniam ire poſtulabat, neque ullus miſſus eſt eò Prorex toto hoc anno MDCXLIX. Præerat igitur abſente Prorege Marcinus exercitui, raro pedite, ſed equitatu fortior. Non ſufficiebant hæ vires, ut quidem videbatur, ad retundendas ingentes Caſtellanorum Copias quibus imperabat Garaius, ſed tantùm, ut arces & caſtra munita cuſtodirent, atque ita progeſſus & victoriarum aditus hoſtibus intercluderetur. Egreſſus erat ille Caſtellanorum exercitus Ilerda, & inde Terracone tranſiens pervenerat villam Francam oppidum XLVIII. circiter millibus Barcinone diſtans, ubi pauliſper conſtitit, res novas Barcinone futuras, & latentes tandem perduelles aliquid hocce temporis perpetraturos ſperans. Sed eum ſua fefellit expectatio: proſpexerat quippe Marca rebus tam adverſis, atque Conſilio inito cum Margarito, cùm Civitatis Conſiliariis, Provinciæ Deputatis, & præcipuis Regij Senatus Magiſtratibus, ut centum Concives, quorum erat in Regem ſuſpectâ fides, procul exules amandarentur, & ut militari præſidio cuſtodiretur Barcino decretum eſt; quibus acceptis Garaius de promiſſa ſeditio-

ne deſperans, Ilerdam cum toto ſuo exercitu repetiit, tentatis priùs Indigenarum animis, ut Præſuli noſtro & Margarito manus violentas inferrent, eoſque de medio tollerent.

Enimverò tota iſthæc noſtrorum victoria, vel potiùs hoſtiũ fuga, poſt ſupremi Numinis opem, non alteri tributa fuit, quàm ſapientis adeò conſilij auctori, cui de tam fœlici exitu gratulatus eſt Rex litteris ad eum datis, eumque fecit de mercede futura certiorem. Convaluit hinc Catalonorum ea quæ jam inſederat opinio; quamdiu ſcilicet Marca Provinciam adminiſtraret, eam Caſtellanorum armis atque fallaciis nunquam ceſſuram, ſed ſemper iis ſuperiorem futuram augurantium. Ad cum ergo collimandum illi ſibi ſcopum eſſe ſentiebant, ut nunquam è Catalonia furente bello recederet; Perilluſtri Generalis Inquiſitoris officio, & ex vacantibus, aut vacaturis in provincia Cathedralibus Eccleſiâ præcipuâ donari poſſe à Rege cogitantes, ut altas ſic apud eos radices agens nunquam ab illis regionibus evelli poſſet. Non tamen cum illis in eamdem ibat Marca ſententiam, quippe qui prorſus animum in patriam redeundi, & Eccleſiam Conſorannorum adminiſtrandi defixum altiùs retineret.

Sub finem anni MDCXLIX. peculiari veredarió juſſit Rex Antiſtitem noſtrum, ut Marcinum cuſtodiæ tradi curaret, & ad ejus executionem rei, Marchionis Laſarij Caſtrorum Mareſcalli, vel eo abſente Marchionis Margariti miniſterio uteretur. Aberat tum fortè Laſarius, quare Margarito ex

iiſdem altero ſibi utendum ad id muneris intellexit: Sed obverſabatur illi periculum ne Marcinus occumberet in eo congreſſu, quòd inter eum, & Margaritum atrox & immortalis eſſet inimicitia: Verebatur enim, ne Marcinus accedentem infenſum ſibi adverſarium pro libertate tuenda vi arcere conaretur, atq; in eo conflictu à Margarito pluribus militibus inſtructo peteretur; vel à ſuis propugnatus evaderet, Dertoſam munitiſſimum præſidium, cui præerat, ſe recipiens, mandato Regis ſic deluſo. Iis omnibus prudenter proſpexit ſapientiſſimus Antiſtes: ad tanti momenti negotium præſentiâ ſuâ opus eſſe arbitratus ſeſe offert periculo, Margaritum comitatur, qui procul cum ſuis præcluſerat, & occupaverat aditus; atque Marcino, quem in ejus ædibus convenerunt, eâ quâ ſolebat humanitate perſuadet, ut Regiis Mandatis, quæ legenda porrexit illi, ſtatim obtemperans à Margarito cuſtodiri pateretur; quod ille neceſſitate licet coactus, libenter annuit, ſicque Marca rem prorſus difficilem prudentiâ ſuâ confecit, pro qua Regij Adminiſtri nomine Regis illi laudes & grates egerunt.

Eâdem ferè tempeſtate, ineunte ſcilicet anno MDCL. pervolutis Tabulariis & collectis undequaque variis commentariis lucubrationem operis, quod tum temporis *Cataloniam illuſtratam* inſcribendum putavit, aggreditur: Innumeris verò præpeditus occupationibus duos ſolos ex quatuor deſignatis hujus voluminis libros horis ſubciſſivis toto hoc anno ſcribere potuit.

Inter hæc Provincia Cataloniæ à pluſquam anno ſine Prorege procurata, Ducis Mercurij qui nunc eſt Sereniſſimus Cardinalis Vandomenſis, novi Proregis auctoritate recreata eſt. Sed tantum abeſt, ut ex illis, quibus Marca tenebatur, antè negotiis aliquid detractum ſit, ut nova etiam moles addita vehementer eum à litterarũ ſtudiis & à ſuis lucubrationibus averterit. Infœliciſſimus fuit totus hic annus. Recte quidẽ res Politices, & quæ ad bellum etiam ſpectabãt adminiſtrabantur ſub eo Principe, ſed tenuis erat admodum exercitus, ſtipiendia militum rara, & annona prorſus exigua; Ideoque belli exitus infauſti, quos Indigenarum defectiones in iis finibus Cataloniæ, ubi erat exercitius, ſtatim ſequutæ ſunt: Barcinonem verò, & oppida, & reliquos Provinciæ tractus poſt diſceſſum Principis ſuis cohortationibus, auxilij potentiſſimi quamprimùm adfuturi promiſſis, cœteriſque artibus conſervavit Præſul, quaſi angelus in hujuſce terræ tutelam miſſus. Et proculdubio tunc actum erat omnino de Catalonia, niſi ea, quâ valebat, auctoritas apud eos populos, & in eorum animis altiùs defixa hęc opinio, ſe quamdiu remaneret ille in Catalonia nullomodo perituros, illius jacturam avertiſſet. Ideoque Mercurius licet in Comitatum, exercitu in ſtationibus hyemalibus collocato, rediiſſet animo cadere præſente Marca non potuerunt, quinimo futuræ, ſicut jam ferebatur, potentiſſimæ vere proximo hoſtilium armo-

rum expeditioni ad reſiſtendum paratos ſe præbuerunt.

Verum enimverò non inanes fuerunt Catalonorum contentiones, quorum fidelitas labefactari non potuit, adverſo tametſi belli exitui nova & adverſa fortuna ſucceſſerit: Etenim anni MDCLI. initio fœdâ & veſanâ Barcino eſt infecta peſte, quam Optimates urbis fugientes rus ſe quamprimum contulerunt, ut valetudini ſuæ ſalutique conſulerent. Tunc temporis Marca, utpote qui totius Provinciæ adminiſtrationi, & conſervationi invigilare tenebatur, in quod incolere ſolebat in æſtivo fervore, S. Hieronymi Murtenſis Monaſterium VI. millibus Barcinone diſtans Idibus Martij ſeceſſit, ut liber cum omnibus quælibet communicare, & adjumenta quæcumque neceſſaria cùm civitati Barcinonenſi, tùm omni Provinciæ ſuppeditare poſſet, ubi ſolemni privatâque precatione atque votis valetudinem urbis à Deo flagitabat. Inde ut commodiùs, & faciliùs agere poſſet cum militum Præfectis, cum nobilibus Catalanis, & cum iis omnibus qui ex Gallia ſingulis diebus adventabant, Grenoillerium oppidum XVI. millibus Barcinone diſtans, & in ipſius ad Galliam via ſitum IV. Kal. Aprilis ſe contulit.

Grenoillerio quibuſdam poſt diebus in Montis-Serrati ſacras ædes deprecationis cauſſa profectus eſt, ubi cùm ad repetendas pro valetudine duobus ex graviſſimis morbis reſtituta grates, tum ad ſalutandam Virginem Deiparam, antequam

in Galliam, ſi liceret per Regis veniam, ut ſperabat futurum, reverteretur, atque etiam ad perſolvendum pro civitatis valetudine votum per octo dies ſacro ſcilicet majoris hebdomadæ, & feſti Paſchatis tempore eremiticam pene vitam egit. Tunc etiam Montis deſcriptionem, & conſcriptam de Oratorij, atque Imaginis vetuſtate lucubrationem vice tabulæ in naufragiis appendi ſolitæ, ut ipſemet ait in quadam epiſtola, Virgini devotus dicavit, quæ quidem in Archivis Montis-Serrati fuerat recondita, & nondum eſt in lucem edita, quæ autographa ab Illuſtriſſimo Præſide de Marca, ejus filio cum aliis plurimis manuſcriptis Diſſertationibus cuſtoditur.

Reverſus Grenoillerium ſtatim quaſdam Chriſto Salvatori ſacras ædes XII. circiter millibus illinc diſtantes adiit, tum verò ad Oſtalrici caſtrum in via Galliæ poſitum XII. Kal. Maij pervenit; unde peculiarem Veredarium ad Regem miſit cum litteris promiſſam jamdudum in Galliam redeundi facultatem efflagitantibus. Interim Grenoillerio rurſus tranſiens ad S. Hieronymi Murtenſis Monaſterium rediit, ne tanto, & tam ſancto Eccleſiæ Doctore illius domus Patrono, piis ejuſdem Cœnobij Monachis, atque aliis amicis inſalutatis recederet in Galliam. Illinc condicta die, & loco Margaritum, qui Barcinone in rebus urbis illis difficillimis temporibus adminiſtrandis Gubernatoris officio functurus remanſerat, atque Conſiliarios, & Deputatos Barcinonenſes advo-

cavit, & cum eis intermedio Bezotij fluminis alveo colloquutus eſt de omnibus quæ in ea civitate, & in tota Provincia tunc agebantur, & in poſterum erant agenda; ſuum quoque redeundi in Galliam aperuit illis conſilium, quod & Margaritus pro ea quæ ſemper inter utrumque fuit amicitia, & cœteri omnes quòd eo abſente Rempub. multùm detrimenti capturam ſuſpicarentur, ægrè tulerunt.

Contigit in eo ipſo colloquio quidpiam, quod non prætermittendum videtur, nobilem ſcilicet Catalanum, qui cum Margarito ſanus illuc advenerat, de repente exorto ſibi peſtilentiæ tumore perculſum fuiſſe, & confeſtim equo velociſſimo Barcinonem, ut prompto remedio curaretur, rediiſſe, quo caſu quotquot aderamus illic, contremuimus.

Hoc amicis officio perſoluto, Grenoillerium, indeque Oſtalricum repetiit Marca, unde quibuſdam elapſis diebus Mataronem, & Blanas in littore maris oppida, circumjacentes populos, & imprimis ædes ſub quorumdam Sanctorum patrocinio Deo ſacras, pietatis & religionis cauſa luſtravit, ubi quotidie, ſicut Oſtalrici & ubique ſolebat, multas pecunias pauperibus diſtribuit: tum denique reverſus in Oſtalrici caſtrum peroptatâ lares patrios repetendi obtentâ facultate, omnibus quæ ad reditum erant neceſſaria ſe inſtruxit. Non multò poſt tempore Marcinus recuperatâ jam libertate rediit juſſu Regis in Catalo-

niam ornatus totius exercitus Præfectura, quem Marca octavo ante ſuam in Galliam profectionem die advenientem, & per Oſtalrici caſtrum tranſeuntem benigne & amiciſſime ſuis in ædibus excepit.

Oſtalrico tandem diſceſſit Marca XVI. Kal. Auguſti rediturus in Galliam cum ingenti totius Cataloniæ luctu. Gerunda, Perpinianoque tranſivimus, ubi magnos Præſuli noſtro Conſules utriuſque civitatis habuerunt honores, inſignibus Conſularibus, togis purpureis, & clavis aureis præeuntibus eum inviſentes, ſed ſe magis decere nigras vèſtes dixerunt, quòd exitu tanti viri è Catalonia, totius exitium Provinciæ portendi videretur; & adverſos deinceps exitus belli futuros patriamque libertatem brevi ruituram ſuſpicarentur. Tum verò maximis laboribus, & ampliſſimis honoribus defunctus in Catalonia, Perpiniano venit tandem Narbonem, deinde Carcaſium Volcarum VIII. Kal. Auguſti, ubi Comitia Generalia Septimaniæ celebrabantur Præſide Rebeo Archiepiſcopo Narbonenſi, qui optimum, ut antè diximus, Conſobrinum ordinaverat. Aderant quoque plures alij Præſules, in quibus Carcaſienſis eum in ſuis ædibus excepit lautiſſimè, unde digreſſus Toloſam IV. Kal. ejuſdem menſis pervenit. Archiepiſcopus Carolus de Monchal, vir eruditus ſucceſſorem ſuum, ignorans licet, ut poſtea dicemus, amplexus eſt, & ſplendidâ menſâ excepit. Subſtitit illic tres dies in ædibus Raymundi

Marani

Marani amici ſui majoris Archidiaconi Toloſatũ Eccleſiæ, utriuſque Juris Profeſſoris Regij, quem Archiepiſcopatui Toloſano deinde præfectus in Sedis ſpiritualis, & juſtitiæ ad eam pertinentis adminiſtratione, ſocium mihi in Vicaria poteſtate adjunxit, & vacantes poſtmodum ejus morte Canonicatus, & Archidiaconatus majoris in Eccleſia Toloſana dignitates in amicitiæ memoriam ejus ex fratre filio, aliunde etiam digniſſimo contulit. Hoc triduo ſeptem Apoſtolorum, & S. Saturnini Martyris Toloſatum olim Eccleſiæ Epiſcopi, & innumeras aliorum Martyrum, & Sanctorum reliquias in ejus ædibus reconditas, totoque orbe celeberrimas veneratus eſt, atque eorum opem ad Conſorannorum Eccleſiam rectè piéque adminiſtrandam facto Miſſæ ſacrificio ſupplex poſtulavit. Illinc Kal. Auguſti diſcedentes perreximus ad locum in quo civitas olim, ut fertur, Conſorannorum ſita erat, Civitatem ſcilicet nunc S. Glycerij, à Sedis illius quondam Epiſcopi nomine ſic appellatam, & Eccleſiæ Conſorannorum Sedem, quò tandem omnium totius Diœceſis Optimatum, & Nobilium virorum caterva comitante, & obſervatis ſolitis in hac parte ceremoniis III. Nonas Auguſti fœliciter Marca pervenit, atque poſſeſſionem Eccleſiæ ſuæ per ſe ipſe iniit, quam jam ante tredecim menſes ipſius ego nomine adieram.

Voti ſui compos factus Clariſſimus Antiſtes, quum redux in Galliam Eccleſiæ ſuæ adminiſtra-

tione delectaretur, nil aliud amplius optandum ſibi putans, nunquam ex ſua Diœceſi, ut opinor, egreſſus eſſet, niſi rerum ſeptem annos, & aliquot menſes in Catalonia geſtarum, & muneris ſibi commiſſi rationem redditurus, in Regiam ire juſſus fuiſſet. Sed antequam iter Pariſiorum ingrederetur omnia Epiſcopalia munera, quæ per id temporis fieri poterant, executus eſt pietate & diligentiâ ſingulari. Non minor fuit de eo Conſorannorum opinio, quàm fuerat ante Catalonorum exiſtimatio, eum non modò ut ſuum Antiſtitem venerati, ſed ut virum ampliſſimum admirati ſunt; & Eccleſiæ ſuæ Sedem illius virtutibus imparem eſſe ſentiebant; ideoque, ſi ſemel ab ea diſcederet, ne numquam, ut reipſa evenit, in eam rediturus eſſet verebantur. Atque hoc tempore contigit Archiepiſcopi Toloſani mors Volcarum Carcaſi obita, quam ipſe hominis ſibi admodum chari jacturam ut ægrè tulit, ſic animam ipſius piacularibus precibus, ipſoque etiam Miſſæ ſacrificio adjuvare conatus eſt.

Jam ab anno circiter, antequam Marca Cataloniam dimiſiſſet conſenſium ſuum præbuerat nuptiis, quas Nobiliſſimus vir Jacobus Gontaldus Biro unus ex duodecim antiquis Benearni Baronibus *de Arros* ſcilicet, enixè contrahere flagitaverat cum Catharina ſecundo genita ejus filia ſumma pietate & eleganti formâ puella, quamvis eum numquam vidiſſet, ſed quod illuſtris Bironis jam commemorati nepos eſſet, & pro antiqua fami-

liarum ſuarum amicitia; quæ quidem nuptiæ brevi poſt eo abſente celebratæ fuerunt. Poſt reditum verò in Galliam Poſtulanti ſimiliter viro Nobili Petro de Navailles, Baroni quoq; Benearnenſi Baroniæ àntiquæ de Mirapeix, valdè ſibi noto Chriſtinam natu quidem, ſed non ſplendore, pietate, morumque elegantiâ minimam ſuam filiam nubere ſtatuit, ex qua ſola à pluribus annis demortuâ ſuperſunt hodie tanti viri nepotes.

Rex jam antè ſcripſerat encyclicas litteras, quibus Delegatos ex ſolitis in eo caſu locis ad Comitia Generalia Galliæ menſe Octobri ſequenti celebranda mitti jubebatur; monitus eſt Marca privatim ab amicis, ut id ſibi muneris demandari curaret.

Hæc fuit cauſa cur tam chari gregis ſtudioſus paſtor citiùs, quàm optaſſet, ab ovibus avulſus fuerit. Itaque rebus omnibus ad adminiſtrationem Eccleſiæ neceſſariis compoſitis demigravit è civitate S. Glycerij pridie Nonas Septembris ejuſdem anni, ut Muretum oppidum, in quo Comitatus Convenarum Conventus ad delegatos in Generalia totius regni Comitia mittendos indictus erat, proficiſceretur. Pręſes illius natus fuit ſemper Conſorannorum Epiſcopus referētibus omnium ordinum ferè viris. Joannes tamen Daffiſius Epiſcopus Lombariēſis, quòd eſſet antiquior ordinatione præſidendi ſibi jus arrogabat, qua contentione libenter abſtinuiſſet Marca, primamque ei Sedem haud ægrè conceſſiſſet, ut erat ab omnibus

controverſiis & honorum ambitione alienus, niſi maxima nobilium virorum Convenarum Comitatus pars obſtitiſſet, quorum ſuffragiis primam ſedem occupavit, & ad Comitia Generalia Regni delegatus fuit, Daffiſius licet ab Conventiculo eorum, quos ſuas in partes traxerat, ſimiles ſibi honorés haberi curaverit: Rex verò controverſiam hanc Reſcripto ſuo diremit, quo penitus Conſoranenſi ſuffragatus eſt.

Toloſam hinc redivimus VI. Idus Septembris, ubi dum juſtis exequiarum fato functi Archiepiſcopi Toloſani rogatus intereſt in magna populi frequentia, omnes ferè noſtrum Præſulem imprimis ſpectantes aliquo inſtinctu afflatuque divino demortui ſucceſſorem, & ſuum Archiepiſcopum futurum eſſe vaticinati ſunt. Tum verò rurſùs S. Saturnini Eccleſiæ reliquias veneratus, urbis Optimatibus ſalutatis, & cum doctiſſimis Altaſerra, & aliis qui eam incolunt viris colloquutus alveo Garumnæ Idibus ejuſdem menſis ſe commiſit, in quo fluvialibus vecti navibus quarto die Burdegalam tranquillis aquis fœliciter appulimus. Inde ſine mora in Xantonum Civitatem ivimus, ubi ſibi amiciſſimum Marca Deſprueſium S. Papuli Epiſcopum Celeberrimum Oratorem ſacrum, qui tunc ibi agebat, inviſit, quo ſalutato per Pictones, Turones, & Aurelianenſes Pariſios perreximus, quò tandem v. Kal. Octobris Marca pervenit incolumis.

Verum enimverò non multum Pariſiis, ut ſpera-

bamus, conquievimus. Rex enim ab aliquot diebus in Fontis-Bellaquæi Caſtrum ſe contulerat, quò Marca eundum ſibi eſſe arbitratus. Ibi Kal. Octobris Regem Reginamque Regentem ejus matrem, eâ qua par erat reverentia ſalutavit; ab iiſdem benignè blandéque exceptus, & laudibus etiam ob demandatam ſibi provinciam rectè administratam non vulgaribus eſt ornatus. Mazarinus aberat tunc à Comitatu, & à Regno Supremi Senatus Pariſienſis Decreto proſcriptus, & Capitis damnatus. Scripſit Bonna antiquo munitoque oppido Archiepiſcopi Colonienſis Electoris Imperij Sede, ubi tum degebat, ad Marcam literas menſe Decembri, quibus ei reditum è Catalonia gratulabatur, & de injuria Senatus-conſulto illo toti Eccleſiæ illata conquæſtus id delendi rationem & modum poſtulabat, iiſdemque litteris ſuam apud Regem opem, ut viduæ tunc temporis Toloſatum Eccleſiæ præficeretur, pollicitus eſt. Marca verò qui tantam injuriarum vim irrogatam Eccleſiæ totique Clero Gallicano æquo animo ferre jam antè non poterat, Coëpiſcopos Pariſiis tunc fortè negotiis Eccleſiarum ſuarum incumbentes, atque Agentes Generales in rebus Cleri alloquitur, eoſdemque omnes utpote graviter læſos provocat ad ultionem Eccleſiæ à Regis pietate, & juſtitia poſtulandam, tum hortatur eos, ut Conventu peculiari habito, mitti Legatos in aulam curent, qui Oratione fortiſſima nomine Cleri Gallicani fla-

gitent Diploma Regium, quo Senatuſconſultum memoratum caſſum, & inane declaretur, & ſimile quid in poſterum attentare prohibeatur. Inſuper autographum hujuſmodi Diplomatis poſtulandi ſcripſit, & porrexit.

His ita diſpoſitis initio menſis Januarij ſequentis anni MDCLII. profectus eſt Pictavium, ubi Rex & Regina mater à quibuſdam diebus agebant, & illic ad Mazarinum reducem quæ in Catalonia geſſerat, & quæ Pariſiis acta fuerant in Epiſcoporum Conventu, renuntiavit: qui quidem quum noſtrum Antiſtitem provinciis ſibi delegatis præclarè exſolutum advertiſſet, & maximè placeret ei tota rerum, quas geſſerat, adminiſtratio; quod ante litteris ſpoponderat de procuranda illi Toloſatum Sede, tunc verbis confirmavit, plures licet eam antiquiores Epiſcopi de illo benemeriti flagrantiſſimè ambirent, & gnaviter efflagitarent. In illa Civitate jure jurando, ut paſſim fit ab omnibus Epiſcopis, pro Conſorannorum Eccleſia Regi eo præſente conceptis verbis ſtrinxit fidem, quod ante idcirco non præſtiterat quod anno jam MDCXLVIII. cùm ageret in Catalonia, lege, qua ſubeunt beneficia ditioni Regiæ, quoad illa nacti in Regis verba jurarint, ad tempus Reſcripto Regio fuiſſet abſolutus. Pictavio cum toto Comitatu pridie Idus Februarij ejuſdem anni MDCLII. diſcedentes Salmurium oppidum ivimus, illinc Turonum, deinde Bleſium oppidum ad Ligerim ſita in quibus totam quadrage-

ſimam exegimus. Inde nos ingreſſuros Aurelium ſperabamus,ut à tam lógo peregrinationis labore nos reficeremus, ſed non licuit ob præcluſos aditus;quare Marca totam hanc noctemOliveti pagi tribus circiter millibus Aurelio diſtantis veſtitus, & vigil orando tranſegit. Poſtridie Sullium oppidum petivimus.Porro ſermones quos habuit piiſſimus Antiſtes in toto hoc itinere, ſicut in aliis de quibus egimus ſuperiùs, pietatem & doctrinam æque redolebant. quæſtiunculis & difficultatibus meis nonnunquam laceſſitus mirabiliter delectabatur,eiſque fuſa eruditiſſimaque oratione animi cauſa reſpondebat. Sullio Gienum oppidum perreximus, ubi Marca quindecim circiter dies in Comitatu degit.

Contigit ea tempeſtate dum Gieni verſaremur, hoc eſt menſe Aprili ejuſdem anni ingens ſolis eclipſis, quâ ferè tertia pars hujus planetæ defecit. Hinc multùm infauſta portendi ingens ſuſpicio, eoque gravior quo Regius exercitus in duas partes diviſus non procul Gieno, neque ab adverſo exercitu diſtaret. Nec vanum fuit augurium; cùm enim hâc ipſa nocte duæ illæ partes regiarum copiarum, ut in unum coaleſcerent corpus & iiſdem excubarent caſtris, noctu procedunt ad condictum locum,altera in hoſtes incauta & infœliciter incurrit, à quibus paucis occiſis diſſipata eſt, quumque in alteram aciem hoſtes priore ſic diffusâ intendere Gieni renuntiatum eſt, tanta fuit omnium ferè vitandi periculi

cautio, ut quamprimùm ſaluti ſibi conſulendum rati, ſupellectili carris impoſita ac trans Ligerim ponte vecta, de ponte evertendo quidam agerent, quo videlicet hoſtibus inſequendi facultas adimeretur. Subſtitit Marca in tanto tumultu intrepidus, abeſſe periculum vel inde conjiciens quod ab exercitu Regio Gienum nemo confugeret, atque ita omnes animi ſui magnitudine & exemplo confirmavit. Neque illos fefellit eventus: Etenim hoſtes cum reliqua Regij exercitus parte, quam in conſpectu fereque è regione inſtructâ jam acie habebant, manus conſerrere non auſi, in ſua caſtra ſe receperunt.

Illinc Marca, quum Regem, & quo ſtipabatur, exercitum commode ſequi non poſſet, Aurelio Pariſios rediit, ubi dies aliquot refectus ad caſtrum Sancti Germani in Laio ſe contulit, Illuc enim Rex aliâ viâ pervenerat. Tunc Mazarinus illius nomine Præſulem noſtrum ad Toloſatum Eccleſiam brevi nominandum certiorem reddidit: eâ tamen lege, ut quotannis pēſionem quamdam ex Archiepiſcopatus Toloſani reditibus penderet quibuſdam viris de Rege benemeritis; cui rei ut JuriCanonico penitus repugnanti conſentire non potuit Marca, & ita Conſorannorum Eccleſiam dimittere recuſavit. Verùm Rege ita volente ſub futura ſummi Pontificis approbatione peracta res eſt Corberii ſub menſis Maij finem ejuſdem anni, atque litteræ Regiæ Nominationis ad eam Eccleſiam illi datæ fuerunt. Hinc Melunum

Iunum oppidum proficiſcimur, unde quum Toloſam ad procurandos nomine Regis Eccleſiæ Toloſatum fructus ab optimo Conſobrino miſſus fuerim, cœtera quæ ab illo peracta fuerunt per octo illos annos, quos ibi ſpirituali atque temporali adminiſtratione illius Eccleſiæ defunctus egi, quòdque ab alio jam ante pertractata ſunt, paucis hîc perſtringam.

Poſtquam igitur Lutetiam Pariſiorum rediit Marca teſtibus coram Apocriſiario Apoſtolico ad Toloſatum Eccleſiæ ſtatum probandum adhibitis, egregiam Epiſtolam ad Innocentium X. Pontificem Regiis quæ ad eumdem, ut moris eſt, ſcriptæ fuerant, litteris adjũxit, quâ Nominationis ad eãdem Eccleſiam confirmationem ab eo flagitavit. Hanc ſine dubio ſtatim annuiſſet ſummus Pontifex, niſi quorumdam obfuiſſet invidorum malitia, qui Janſeniſtarum opinionis eum inſimulabant, ab ea licet & antequam damnata fuerit, & poſt ejus cenſuram ſemper alienus fuerit, ut inferiùs videbitur. Sed augebant difficultatem Potentiſſimi Dynaſtæ in Romana curia partes, qui hanc Nominationem ad Eccleſiam Toloſatum ſtatutam & condonatam agrè tulit, non quòd de Electi meritis, quem ut digniſſimum magni ſemper fecerat, conquereretur, ſed aliis ad hoc adductus rationibus hîc prætermittendis. Quæ quidem difficultates non ſtatim ſuperatæ fuerunt, imo verò duorum annorum morâ gratiam Apoſtolicam retardarunt.

Quod ad primam attinet, jam initio anni MDCLIII. publico noſtri Præſulis doctrina teſtimonio & Eccleſiæ Gallicanæ & Apoſtolicæ Sedi probata fuerat in Epiſcoporum Conventu Pariſiis habito, cujus nomine ad Innocentium decimum Epiſtolam, qua de definiendis quinque Janſenij Propoſitionibus rogabatur, exaravit. Adfuit etiam alteri Conventui menſe Julio ejuſdem anni habito, in quo fecit ipſe magna ex parte, ut ejuſdem Summi Pontificis Conſtitutio quinque Janſenij Propoſitiones damnans omnibus Epiſcopis probata fuerit & accepta. Tum verò menſe Martio ſequentis anni MDCLIV. propter editos Janſeniſtarum libellos, quibus earumdem Propoſitionum Damnationi quidem aſſentiebant, ſed eas in Janſenij libris ullo modo reperiri poſſe, atque in ejuſdem Auctoris ſenſu condemnatas fuiſſe pernegabant, qui tunc fortè erant in Comitatu, convocatis in unum per totum pene menſem Epiſcopis, alter ex iis Marca, & unus ex octo totius difficultatis examini præpoſitis plurimam lucem attulit, ut illæ Janſeniſtarum tergiverſationes & cavilli uno ictu præcluderentur; atque totius cœtus ſententiam hujuſmodi libellis adverſam ad ſummum Pontificem ſcribendi provincia illi commiſſa eſt, quâ luculentis litteris ſe fœliciter liberavit. Alia verò, de qua loquuti ſumus, difficultas diutiùs perſtitit, donec frequentiſſimis Regis litteris, quibus urgebatur vehementer negotium, & perpenſo propriorum No-

minati Præſulis meritorum pondere menſe Maio anni ſequentis MDCLIV. tandem Romæ fœliciter eſt ſuperata, condonatâ quâdam tributi, quod appellatur *annata*, parte.

Acceptis ab urbe Roma Confirmationis Diplomatis, ſolito fidelitatis jurejurando coram Rege pro Toloſana Eccleſia ſe quamprimùm exſolvit, atque ſtatim hæc ad me Toloſam tranſmiſit cum authentico chirographo, atque litteris in forma datis quibus ejus operæ Vicaria mei fides ſupponebatur; ut ejus nomine poſſeſſionem adirem Eccleſiæ Toloſatum, (ſicut duobus antè annis nomine Regis actum à me fuerat) eamque adminiſtrarem. Quibus omnibus ad Eccleſiæ Cathedralis Capitulum perlatis, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Joannis Ludovici de Bertier Epiſcopi Rivenſis, & ejuſdem Capituli Præpoſiti miniſterio in illam poſſeſſionem miſſus fui eâdem forma quâ Conſerannorum Eccleſiam ejuſdem Antiſtitis nomine ſex antè annis poſſeſſionem inieram.

Marca verò accepto à ſummo Pontifice, quo Archiepiſcopi utuntur, Pallio Metropolitanæ dignitatis & poteſtatis ornamento, ſive complemento, nullâ habitâ ferventis ea æſtate ſolis ratione Toloſam proficiſci ſtatuit; ſed eorum, quibus auctoritas inerat, monitu, Summi Pótificis ad eas litteras quę ab ultimo Conventu Epiſcoporum ſcriptæ fuerant expectandum ſibi reſponſum fuit. Quod quum nonniſi menſe Septembris ſequẽtis

datum fuiſſet Romæ litteris Apoſtolicis *Brevi* nominatis, & futuris Cleri Gallicani Comitiis Generalibus inſcriptum, confeſtim Pariſios dimiſit Toloſam iturus, ſed Montiſpeſſullani Narbonenſis Galliæ Civitatis quâ tranſeundum erat, ubi Occitaniæ Provinciæ Comitia Generalia tunc habebantur, juſſu Regio ſiſtendum fuit, ut in iis debitum Toloſatum Antiſtiti locum occuparet, & jure primæ ſententiæ uteretur. In eo porro cœtu egregiam ita dedit operam, ut omnibus difficillimis negotiis præficeretur, & in iis, quæ pertractabantur, non tyrocinium ponere, ſed emeritus eſſe videretur.

Exactis Comitiis in optatam Toloſatum ſedem ſine pompa, quam recuſavit, tandem fœliciter pervenit menſe Martio anni MDCLV. Exceptus fuit à Capitulo Sancti Stephani in Eccleſia Cathedrali orante ſuperiùs nominato Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Joanne Ludovico Berterio Epiſcopo Rivenſi Provinciæ Toloſanæ Suffraganeo, tamquam ejuſdem Capituli Præpoſito coram ampliſſimo Civium cœtu. Quid verò deſiderari poteſt quod non perfecerit in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione Marca quandiu in ſua diœceſi adeſſe licuit? nihil prorſus. Omnibus ſedulò proſpexit & tantam in iis omnibus, quæ peragenda erant, poſuit operam, ut nulla eſſet hora laboris à paſcendo grege vacua. In quibus mentionem ſolùm faciendam cenſeo, ne à propoſito mihi brevitatis ſcopo aberrem, orationis illius, quam ad Clerum

ſuum in Synodo coactum habuit, quâ ſolito lepore ita Parochorum animos pellexit & informavit, ut unuſquiſque Eccleſiam ſuam ejus præceptis imbutus Apoſtolicâ mente repetierit. Verùm enim verò non tam diuturna, quàm optaſſet illi permiſſa fuit Toloſanæ Diœceſeos adminiſtratio : Etenim omnium Suffraganeorum Epiſcoporum ſententiâ in Synodo Provinciali delegata fuit illi provincia ad Comitia Generalia Cleri Gallicani, quæ menſe Maio ejuſdem anni Pariſiis erant indicta, ad quæ non ſtatim ſibi eundum putavit, ut ovibus ſuis omni ſtudio & curâ diutiùs incumbere poſſet. Diſceſſit igitur Toloſa quàm potuit tardiſſimè, menſe ſcilicet Auguſto ſequenti, ut ante finem Comitiorum Lutetiam Pariſiorum perveniens ea non neglexiſſe videretur, ſed tulit admodum ægrè, dilata in longius ſolito tempus Comitia poſt ſuum Pariſios adventum dumtaxat accepiſſe.

Porrò vix aliquantulum ibi laborioſo Præſuli conquieſcere licuit; nam ferè ſtatim in Septimaniam, ut ejuſdem Provinciæ Comitiis Generalibus apud Pedenacum convocatis, præeſſet, redire juſſus eſt. Paruit Regis imperio, atque eâ ſolertiâ, & rerum pertractandarum peritiâ totum hunc Conventum moderatus eſt; ut qui tanto viro prioris Cœtus diebus obeſſe tentaverant, ſummam in illum unum rebus maximi momenti pertractandis atque decernendis poteſtatem conferrent, quâ uſus & non abuſus, & partium quarum

res agebatur, & Reipublicæ commodo æquiſſimè conſuluit. Non diſpar fuit eorum omnium, quæ acta fuerunt in iis Comitiis, exitus: Etenim tanti Præſidis induſtriâ Regi populoque ſimul planè cumulatéque ſatisfactum eſt.

Impoſito Comitiis fine Pariſios rediit, ut aliis Cleri Gallicani Comitiis generalibus jam antè ſub Octobris finem inchoatis adeſſe poſſet; in quibus Sedem dignitati ſuæ debitam prolato à Conventus Protopræſide laudum ejus elogio XIII. Kalend. Aprilis anni MDCLV. accepit, negotiis præſertim, quæ illic agitata ſunt, ſpiritualibus clariſſimæ inſtar lucis affulſit, & perpetuus Janſeniſtarum malleus extitit. Imprimis illi delegata fuit eorum, quæ jampridem in illos acta, & decreta fuerant, ad Conventum referendi provincia, quo munere fœliciſſimè Renuntiatione publica plenis Comitiis habita functus eſt, & deinceps eorum omnium, quæ in eos ſancita ſunt, præcipuus auctor fuit, ſcriptis quoque pluribus Comitiorum nomine ad Summum Pontificem luculentis, nec minùs ſplendidis ad Coepiſcopos Galliæ encyclicis litteris: quæ quidem maximæ in eum invidiæ, & odij cauſſa fuerunt apud hujus hæreſeos Sectatores; unde libelli in eum famoſi, quibuſcum ſerram reciprocare noluit, ne cum larvis pugnare videretur ſolâ eorum tam Romæ, quàm Pariſiis publicâ proſcriptione contentus.

Diuturniora quàm voluiſſet, fuerunt Comitia

Generalia Cleri, quorum intervallo à ſua Eccleſia, procul licet diſſita, abeſſe non videbatur, animo ſcilicet continuâ ſollicitudine in eam intento: Singulis enim curſoribus ad me, cui Vicariam fidem in Eccleſia adminiſtranda concrediderat, ut ſuperiùs dictum eſt, litteras Toloſam mittebat, quibus & quæ eſſent agenda præſcribebat, & iis, quæ ad eum renuntiabam, reſpondebat accuratiſſimè. Sub finem Maij MDCLVII. expletis tandem Comitiis ad reditum in Toloſatum urbem, quem flagrantiſſimè cupiebat, ſe comparavit. Sed Regis mandatum obfuit iterum profectioni, & gravis deinde morbus, de cujus exitu vehementer dubitabatur: Verumtamen tanta erat Regis in eum propenſio, ut eo licet in ultimo vitæ diſcrimine poſito, Chariſſimum ejus filium Galactorium, de quo ſuperiùs mentionem egimus, ad Abbatiam S. Albini Andegavenſis, Ordinis S. Benedicti nominaverit.

Recuperatâ valetudine grates egit Deo pro beneficio accepto, & ſtatim libris cum reliquis impedimentis ad me miſſis Toloſam, diſceſſurus erat Pariſiis proxima quaque die, ut Eccleſiam ſuam repeteret, niſi votis ejus mandata Regis iterum obfuiſſent aliquandiu; ejus quippe conſiliis in rebus Eccleſiaſticis ſibi utendum arbitratus, Adminiſtri ſui eum dignitate decoravit menſe Novembri anni MDCLVIII. in itinere, quod ut iret Lugdunum ſuſceperat: ubi aliquamdiu moratus in Comitatu Marca, Toloſam redeundi faculta-

tem tandem obtinuit; eâ tamen lege ut prius Narbone conſiſteret, Comitiis Septimaniæ Generalibus, quæ tunc ibi celebrabantur, daturus operam, quò non ſine hyemis aſperrimæ laborè menſe Januario anni MDCLIX. pervenit. Illuc ego quoque unà cum aliquot è Capitulis & aliis Delegatis quamprimùm acceſſi, ut optimum Conſobrinum tam meo nomine, quàm totius Cleri Toloſani ſalutarem. Conventus Occitaniæ Præſes tunc temporis erat Marca, quia Rebeus Archiepiſcopus Narbonenſis gravi morbo laborabat, cui Marca ſacram ſynaxim brevi oratione habitâ tanquam ἐφόδιον porrexit; tum verò poſt ejus mortem ſolemni, & ſupremo ſacrificium faciens exęquiarum in eum officio functus eſt. Quamdiu Narbonem incoluit Marca negotiis publicis interdum cùm licebat per temporis intervalla, ſe ſubducens, clariſſima quibus abundat Narbo, veterum monumenta perluſtrabat, & nonnunquam cum amiciſſimo & eruditiſſimo Boſqueto Montiſpeſſulani Præſule ſuperiùs commemorato, quorum deſcriptionis non eſt hic locus, quippe quæ optimus Conſobrinus in Marca Hiſpanica libro qui edatur in lucem digniſſimo eleganter intexuit.

Conventu Septimaniæ peracto redivimus Toloſam, quò pervenit Marca initio Aprilis ejuſdem anni magno Toloſatum applauſu, ubi omiſſos propter abſentiam labores ſollicitâ, ut optimum decet Paſtorem, ovilis ſui procuratione, repetiit.

repetiit. Qui quidem intermiſſi fuerunt Mazarini in extremam Vaſconiam Regni limites adventu, ut de conditionibus peroptatæ pacis inter Galliæ, & Hiſpaniæ Reges cū iſtius Legato paciſceretur. Propiùs accedebat Regius Adminiſter, quàm ab eo ſalutando poſſet abſtinere Marca: Ideoq; Toloſa digreſſus, & per Benearnū tranſiens, ubi paucos dies egit, ingredienti Mazarino Baionam obvius fuit & pergratum illi fecit; quem etiam in Inſulam Vidaſſonis āmborum Regnorum finitimam euntem, ubi duorum Miniſtrorum frequens congreſſus habebatur, ſœpe comitatus eſt. Illic quoque Marcà familiariter Magnatibus Hiſpanis Adminiſtri Regij comitibus uſus eſt, qui eum pluris fecerunt, & magnos illi habuerunt honores, utpote cujus ſingularem eruditionem, & virtutes acceperant, nec mediocrem eorum, quæ tunc illic agebantur, notitiam illi eſſe putabant. Quæ opinio eos non omninò fefellit, vocabat enim illum quandoque Mazarinus in ſecreti partem. Sed tandem exacto menſe Auguſto, & accepto Regis Toloſam veniendi conſilio, remeandi ſuam in Diœceſim facultatem petiit, ut in Regis ingreſſu officio ſuo non deeſſet. Itaque dimiſſis Regni finibus per Benearnum rursùs tranſeuntes ad Balnea Vici Aquenſis, vulgò *Bagneres*, amœniſſimi Comitatus Bigorræ oppidi, profecti fuimus, & demùm incolumis Toloſam Marca rediit ſub finem menſis Septembris.

Sequenti menſe Octobris Rex cum tota fami-

lia Regia, & ampliſſimo Comitatu Toloſam pervenit, quem Marca primùm in ſacris ædibus Cathedralis Eccleſiæ S. Stephani oratione habitâ, & Pontificalibus veſtibus ornatus, tum verò in ædibus Archiepiſcopatus ſimul & piiſſimæ memoriæ Annam Reginam Matrem, & Philippum unicum Regis Fratrem excepit: Mazarino deinde, pace fœliciter ſancitâ Toloſam venienti fuit obvius. In ſupremum & ſecretum Regis Conſiſtorium Rege, Mazarino, & aliis Regiis Adminiſtris præſentibus vocatus fuit, & adfuit. Ad profliganda in Diœceſi Toloſana vitia & crimina publica, authoritate Regiâ, cùm Epiſcopalis non ſufficeret, prudenter uſus eſt. Præfuit Comitiis Generalibus Occitaniæ, quæ Toloſæ tunc habebantur; atque eloquenti & pergratâ oratione dona, quibus Provincia Regi gratificata eſt, ampliora, quàm umquam fuerint, obtulit totis ſtipatus Comitiis; in quibus ita ſe geſſit, ut Regi totique Provinciæ cumulatiſſimè ſatisfecerit, & ab omnibus laus illi de Republica benè adminiſtrata conceſſa fuerit. Tunc temporis præcepit illi Mazarinus nomine Regis, cujus mentem eidem jam ante menſe Auguſto aperuerat, ut eum Pariſiis reducem aſſequeretur, quòd eum Princeps invictiſſimus in ſuo Comitatu degere, & Eccleſiâ Toloſanâ ſolutum viciniori alteri, ſi ſe daret occaſio, mancipari vellet. Interim una cum Serronio Arauſicano Epiſcopo Marca delegatur ad fines Galliæ Narbonenſis, & Hiſpaniæ

Tarraconenſis regendos cum aliis duobus Delegatis ab Hiſpaniæ Rege mittendis, atque, ut ſe Roſſilionis itineri pararet, monetur.

Egreſſus eſt Tolosâ Rex ineunte anno MDCLX. ut in Provinciæ Comitatum proficiſceretur, & confeſtim Antiſtes noſter antequam in Roſſilionem diſcederet, acceptâ per litteras Regias facultate, Conventum Provinciæ Toloſanæ ſub finem Januarij ejuſdem anni convocavit; ut ex utroque Ordine Delegati ad Comitia Cleri Generalia proxime cogenda mitterentur, novuſque deligeretur Agens Generalis in rebus Cleri, qui alteri ex antiquis ſuccederet. Taceo quæ tunc acta fuerunt multis rationibus inductus. Satis erit dixiſſe me Agentem Generalem in rebus Cleri, nonnullis licet invitis, electum tandem fuiſſe, eamque dignitatem optimo Conſobrino in multis aliis beneficiis acceptam me referre.

Peracto hoc Conventu, quemadmodum illi præceptum fuerat, in Roſſilionis Comitatum abiit, ubi vetus Catalanorum in eum amicitia renovata eſt, qui certatim eum videre conabantur, fœlicemque rerum omnium exitum ex ejus adventu ſibi futurum augurabantur. Non mediocris fuit mutua noſtri Præſulis, & Illuſtriſſimi Arauſicani Epiſcopi lætitia, cùm iſte Toloſano fuit obvius, atque deinceps ambo in omnibus, qui habiti ſunt, congreſſibus amiciſſimè ſe geſſerunt. Prætereunda penitùs arbitror ea

omnia, quæ inter eos, & Regis Caſtellæ Legatos in ſuis Conventiculis de regnorum limitibus acta fuerunt, quòd in Renuntiatione perilluſtri & excellentiſſimo viro Tellierio Regis Adminiſtro à Marca tranſmiſsâ ſint ampliſſimè deſcripta, & ab Auctore ejus vitæ maximam in partem exſcripta: quæ quidem obiter attingens dicam ſolùm, me virum optimum ut inviſerem in Roſſilionem contuliſſe, atque ejus jam ægrotantis nomine Regem Reginamque Matrem, & Philippum unicum Regis Fratrem ſub finem menſis Aprilis ſequentis eâ qua par eſt reverentiâ Perpiniani ſalutaſſe, qui profectò morbum ejus ægrè tulerunt.

Porro, quum duos tantùm dies egerit Rex Perpiniani, ſubitò me juſſit optimus Conſobrinus, ut Toloſam quamprimùm, Regem totamque Regiam familiam excepturus in ædes Archiepiſcopales, ut antè actum fuerat, reverterer. Dimiſi eum in ea civitate jam meliùs ex morbo ſe habentem, & Diſſertationem *de theca Reliquiarum Sancti Ioannis Baptiſtæ quæ ſervatur in Eccleſia Dominicanorum Perpinianienſium* dictantem, febri licet nondum omnino vacaret, quam Diſſertationem fœliciter abſolvit. Tum verò convaleſcens Toloſam ſe recepit ſub Maij ſequentis initium, ubi, ſumma licet ex morbo eſſet illi corporis infirmitas, eam animi virtute ſuperavit, & paſtorali officio pro viribus incubuit.

His curis & laboribus præpeditus ad Regis

nuptias, quæ apud Sancti Joannis Luſenſis vicum celebrabantur, ire, & eorum quæ geſſerat de Regni limitibus niſi ſcripto, rationem reddere non potuit. Quum verò valetudinem omnino recuperaſſe videretur, in morbum iterum incidit, ex quo demum convaleſcens, ad adminiſtrationem Eccleſiæ ſuæ diligentiam incredibilem contulit, ſimulque luculentum illud opus in Catalonia inchoatum *Cataloniam Illuſtratam* tunc inſcriptum, duobus additis libris & mutato in *Marcam Hiſpanicam* nomine perfecit.

Rebus in ſua Diœceſi prorſus compoſitis, & acceptâ Regis atq; Reginæ Regnantis cum magnifico apparatu Pariſiorum in urbem ingreſſione, recordatus Marca, quod à Mazarino Regis nomine præceptum illi fuerat, ut ſcilicet poſt Regis in urbem reditum eò ſe conferret, ingreditur viam Lutetiæ Pariſiorum, quò ſub finem Septembris ejuſdem anni MDCLX. pervenit, doluitque multùm, quod Mazarinum graviſſimo morbo laborantem invenerit, & maximè, quod menſe Martio ſequentis anni MDCLXI. deceſſerit è vita.

Mortuo ſummo illo Adminiſtro, Rex; qui ad maturam jam ætatem pervenerat, ſui Regni clavum ipſemet tenere cœpit, atque præter alia conſilia, negotiorum Eccleſiaſticorum & ſpiritualium peculiare Conſilium conſtituit, cui Marca ut dignitate præſtantior præfuit. Quæ verò in eo congreſſu, qui ſingulis hebdomadis habebatur,

de noſtro Præſule Regis opinio fuerit, unicuique notum eſt. Agnovit enim perſpicaciſſimus Princeps miram ejus intelligentiam & ſapientiam, peritiam rerum pertractandarum ſingularem, puram & candidam mentem, pietatem denique, & ſtudium ad ea tuenda quæ ad Regem pertinent flagrantiſſimum, quarum omnium virtutum opinio fuit ſummæ Regis in eum Benevolentiæ conciliatrix. Abiit ad Fontis bellaquæi, ſive *Fontis Blaudi*, ut illi dicendum maxime videbatur, caſtrum initio menſis ſequentis, & cum cœtero comitatu Regis teſſerâ hoſpitio ſatis amplo fuit exceptus, ubi totam æſtatem tranſegit variis ocupationibus diſtentus: Etenim non ſolùm Eccleſiaſticis, & iis imprimis, quæ ad Regium conſilium pertinebant, ſed etiam privatorum & amicorum negotiis operam libenter dabat; In quibus commemorari poſſunt, quæ in Perilluſtris Antiſtitis amici ſui gratiam egit, & quot habuerit cum illuſtriſſimo Cœlio Picolominæo nuntio Apoſtolico nunc verò Eminentiſſimo Cardinale collocutiones, ut in gratiam ſummi Pontificis revocaretur, quod induſtriâ ſuâ fœliciter eſt peractum: Adfuit ibi quoque duobus peculiaribus Epiſcoporum Conventibus, quorum alteri præfuit, in quibus de mandato Vicariorum Generalium Eminentiſſimi Cardinalis Rezij Pariſienſis Archiepiſcopi ad formulam damnationis quinque Propoſitionum Jan-

ſenij ſubſcribendam tunc agebatur, atque non in eorum ſententiam, qui id mutandum & in meliorem formam redigendum cenſebant, non poſtremus abiit.

Rex menſe ſequenti Septẽbris in Ducatum Britanniæ profectus eſt, ex quo promptiùs, quam putabatur, reverſus eſt. Tum Marca nactus hujus itineris occaſionem Andegavum petiit, ut illic S. Albini Monaſterium, cui filius ejus, ut jam ſuperiùs diximus, Perilluſtris Galactorius de Marca præfectus Abbas fuerat, perluſtraret; & utrum Monachis Sancti Benedicti Congregationis Sancti Mauri, quos in id recens introduci juſſerat, planè ſatisfactum fuiſſet, ipſemet explorare poſſet. Unde Regis accepto reditu confeſtim ingreſſus eſt viam Fontis Bellaquæi, ubi non multum temporis degit: Oportuit enim ut Regis mandato, acturus cum Nuntio Apoſtolico de negotio Maximi momenti Pariſios ſe conferret.

Iis rebus fœliciter compoſitis in acerbum morbum incidit omnibus ferè communem, qui eodem anno vixerant apud Fontem Bellaquæum ex aëris intemperie, æſtu fervente, & inſalubribus aquis, ut aiebant medici, contractum, quod profecto mihi experientiâ ſatis conſtitit qui triginta dies in eo loco febri continuâ laboravi. Ut convalui redivi Pariſios, & ibi optimum Conſobrinum conveni jam quoque laborantem, non modo febri, ſed etiam, mirum dictu! in exaranda Diſ-

ſertatione de ſummi Pontificis infallibilitate, quam in cubili jacens dictabat Amanuenſi, ut Perilluſtris & Excellentiſſimi viri Tellierij Schedulæ nomine Regis de ea ſciſcitantis reſponderet: hac enim de materia, graviſſima tunc temporis erat orta quæſtio propter agitatam in Collegio Claromontano de illa theſim.

Convaluit iterum Marca pauliſper ex hoc morbo, ſed quum autumno febris graſſari cœpiſſet, diuturna corporis debilitate fractus jacuit per totam ſcilicet ferè hyemem. Nec mirum ſi tam ægrè priſtnas vires receperit, qui nullatenus labori parceret; nec ſolùm in lucubrationibus, & librorum lectione, verum etiam in amicorum inextricabilibus negotiis enucleandis, & in jurgiis & litibus componendis ita continuò verſaretur, ut communis omnium Arbiter dici poſſet. Eâ tempeſtate, ineunte ſcilicet anno MDCLXII. monitus eſt ab amicis, Eminentiſſimum Cardinalem Rezium Eccleſiæ Pariſienſi brevi renuntiaturum, hancque Renuntiationem Regi valde probandam. Quapropter iidem ut Eccleſiam illam tamquam proximè vacaturam vel ipſemet, per ſe, vel Potentiorum interventione poſtularet, ei perſuadere conabantur. Noluit tamen ambitioſis illis petitionibus Marca Regem, atque amicos fatigare, ſatiuſque providentiæ divinæ, ſi parem eum huic oneri cenſeret, omnia committere duxit. Interim in iis, qui ad eam dignitatem extollendi

extollendi videbantur, ipſe potiorem tenere locum ferebatur, nec defuerunt, qui ejus adipiſcendæ certiorem illum redderent, ſi per valetudinem illi liceret. Quod ita obtigit: Etenim eâ recuperatâ ſtatim Rezius Renuntiationis ſimplicis Eccleſiæ Pariſienſis chirographum manibus Ducíſſæ matris ſuæ tranſmiſit ad Regem, qui eo accepto ſub finem menſis Februarii, confeſtim juſſit Perilluſtrem Dominum Tellierium, ut Marcam vocari curaret ad caſtrum Luparæ, quod quum per unum ex ejus contubernio præſtitum fuerit, Marca Regis mentem prorſus ignorans data hora ſe ſtitit coram eo, qui Ceſſionis Chirographum jam memoratum illi porrigens Archiepiſcopatu eum Pariſienſi donare ſe dixit quum primùm ſibi licuerat. Marca verò pro tanto beneficio & pro nobiliſſima hujus conferendi ratione Regi gratiis actis ampliſſimis domum ſuam repetiit, in quam plurimi Regiæ domus Miniſtri totaque ferè Urbs confluxit, ut illi quiſque Nominationem Regiam gratularetur. Cogitans interea Marca quantis à Deo cumulatus fuiſſet beneficiis, ac præſertim iis animi dotibus inſtructus, quarum cauſa Rex illi gratificatus fuerat, privatis precationibus & crebris, quum valetudo permitteret, Miſſæ ſacrificiis ſummo Numini pro iis grates egit, & imprimis quod eum Eccleſiæ Regiæ urbis præfeciſſet. Interim vir cõtinuo labore aſſuetus omnium precibus facile dabat omnia, in ar-

duis negotiis nemini deerat, omiſſis domeſticis, aliorum rebus conſilio & operâ favebat, nemine repulſam patiente; itaque nulla pars diei labore vacua, quieti locus nullus ſupererat, in ipſa menſa, & deambulatione unumquemque de ſuis rebus differentem libenter audiens. Monebatur quidem à medicis & ab amicis, ut ſi valetudini atque incolumitati conſulere vellet, ab ingratis illis laboribus & à quibuſdam jurgiis, quæ componere cęperat, abſtineret; ſed erga proximum charitatis ardore fervens, numquam potuit ab his occupationibus temperare. Hinc vel aliunde, vel ab humorum intemperie, vel à quadam animi ęgritudine & moleſtia, quæ viro optimo cujuſdam artibus eſt creata, exarſit febris, quâ v. Idus Maij ejuſdem anni correptus eſt.

Primâ ipsâ febris die me vocavit optimus Conſobrinus, ut ſecretò me alloqueretur, meque eorum quæ memorata moleſtia eum affecerant, quæque me latuerant hactenus, fecit participem, præcepit quoque mihi quædam agenda, quibus totum illud de quo quærebatur inſtaurari poſſet; quæ quidem fœliciter geſta ſtatim optatum, ſi fuiſſet vita longior, exitum habuiſſent. Tum verò graſſata eſt ſæviſſimè febris, quæ tamen octo poſt diebus ita remitti viſa eſt, ut ægrotus duobus famulis hinc & inde ſuſtentantibus per cubiculum deambularit: Verumtamen ignis ille ſub cinere doloſo latens poſtero die vehementiùs ſuccenſus

eſt; ita ut ab hac hora ſibi moriendum eo morbo cenſuerit optimus Antiſtes, de valetudine recuperanda prorſus deſperans.

Undecimo circiter morbi die præſente me juſſit Stephanum Baluſium, quem habebat ab Eleëmoſinis, ut lucubrationes ejus & opera omnia quæ ſervabat, Perilluſtri Præſidi de Marca ejus filio quamprimùm ex urbe Pali Lutetiam Pariſiorum venturo redderet, cui ille præcepto ſe gnaviter obtemperaturum reſpondit. Cætera quæ acta dictaque fuerunt per totum optimi Conſobrini morbum prætermitto, idque duabus de cauſis. Primò quòd ab eodem Stephano Baluſio Clariſſimo ejus vitæ Scriptore commemorata ſint accuratè, ſi unum illud excipias, quòd lucubrationes ſuas edi in lucem juſſiſſe illum aſſeveret, & à ſe unico notas Scripturæ liturarumque difficultates extricari poſſe contendat: certum enim eſt ejuſmodi præceptum toti optimi viri familiæ, familiaribuſque omnibus & incognitum & inauditum fuiſſe, quinimo prioris illius, de quo ſuperiùs mentionem egimus, præcepti vi, Stephanum eumdem Baluſium omnes illas autographas jam memorato Perilluſtri Præſidi de Marca nullo modo reluctantem, nec quidquam juris in eas poſtulantem, neque prætendentem lucubrationes reſtituiſſe verum eſt.

Secundò quæ ſuperſunt tam lugendi morbi libenter prætereo, quòd ab iis deſcribendis animus

nimio dolore correptus abhorreat. Obiter ſolùm dicam, quòd ſcriptum non ſit, cogitationem optimi viri ſic in ſola morte meditanda fuiſſe defixam, ut quemdam ex Fratribus Laïcis Ordinis Joannis Dei, qui Xenodochium charitatis hujus urbis procurant, vocaverit, & cum eo de omnibus quæ circa mortui corpus agenda ſunt ampliſſimè diſſeruerit. Reddendis etiam Deo animæ rationibus continuò juvantéque ſæpiùs piiſſimo viro Coderco S. Sulpitij Vicario totus incumbebat. Paucis ante mortem diebus accepto Brevi Apoſtolico, quo Alexander VII. eum Eccleſiæ Pariſienſi præfeciſſe ad illum ipſum ſcripſit, plurimaque adjunxit benevolentiæ & laudum elogia; doluit maximè quod Pariſienſis Archiepiſcopus moreretur, nullâ data Eccleſiæ ſuæ opera, quâ majores Deo pro tanto beneficio grates, rependeret, hocque eſſe unicum doloris argumentum aſſeruit, quum profectò vitam alteram magis appeteret, in qua ad dignitatem longè ampliorem, & ad Regnum à Deo Optimo Maximo evectum fuiſſe nullatenus dubitare poſſum. Quod accidit die Feſto Divi Petri Patroni ſui, cujus ferebat nomen, quo die magnum Eccleſiæ lumen, & unicum meum columen extinctum eſſe cum luctu, & lachrymis numquam niſi cum vita exhauriendis dicere cogor. Vixit LXVIII. annos, menſes V. & dies VI. ſepultum eſt ejus corpus in choro Eccleſiæ Metropolitanæ Sanctæ Ma-

riæ Pariſienſis ad Cathedram Archiepiſcopalem in tumulo marmoreo, ubi juſta ſunt illi perſoluta ſumptibus hæredis. Perilluſtris Franciſcus de Verthamont Ordinarius Regij conſiſtorij Comes, vir prudentiſſimus & eruditiſſimus ejuſque amiciſſimus, qui ab eo tempore exceſſit è vita, Epitaphium ſequens poſuerat, quod in tumulo marmoreo excudi curavi. Illud erit Lectori elogij loco, quod ab alienis quàm à propinquis majorem fidem habebit.

EPITAPHIUM.

PETRVS de Marca Illuſtri, & antiqua gente Nobilis Benearnus, moribus, virtutibus, pietate, Rerum gerendarum peritiâ, ſcriptis, Iuris publici, divini, atque humani, Eccleſiaſtici atque Civilis ſcientia inter omnes perinſignis. Ex Navarræ Parlamenti Præſide, ſacri Conſiſtorij Comes Ordinarius. Per Roſſilionem & Cataloniam Miſſus Dominicus, & Regius Viſitator. E Conſorannorum Epiſcopo Archiepiſcopus Toloſanus. Vnus ex Summis Regni Adminiſtris. A Ludovico XIV. Archiepiſcopus Pariſienſis Nominatus. Ab Alexandro VII. Confirmatus obdormivit in Domino Maximo hujus ſed & totius Eccleſiæ, Regni, Reipublicæ luctu Die XXIX. *Iunij* MDCLXII. *Vixit ann.* LXVIII. *menſ.* V. *Dies* VI.

Requieſcat in pace. Amen.

FINIS.

ERRATA.

PAG. 3. *lin.* 22. MDCLXIX. *p.* 9. *l.* 22. nactus *omiſſum.* *p.* 11. *l.* 24. quadam. *p.* 20. *l.* 4. conabantur. *p.* 29. *l.* 20. Uſum. *p.* 36. *l.* 15. juribus. *p.* 42. *l.* 10. et p. 69. Cardinale. *p.* 44. *l.* 14. refert. *p.* 27. *l.* 13. antiquioris. *p.* 74. *l.* 10. & *p.* 77. *l.* 3. Caralanorum. *p.* 85. *l.* 3. *ſubſtitue virgulam puncto quod irrepſit.* & *l.* 5. & 6. *loco dictionum* ab iiſdem *lege* à quibus. *p.* 88. *dictioni* ponte *ſecundo loco poſita ſubſtitue.* eo. *l.* 13. conſerere. *p.* 94. *l.* 11. MDCLVI. p. 82. l. 23. conſenſum. p. 78. l. 12. voci quæ ſubſtitue Sed. p. 71 l. 2 dele vocem ſequentis.

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

PETRI DE MARCA,

PARISIENSIS ARCHIEPISCOPI,

DE SANCTISSIMO

EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

DISSERTATIO.

QUOD in cœteris Chriſtianæ religionis decretis Veteres præſcribunt, ut propoſitarum rerum fides, humanæ rationis conatus antecedat, illud amplecti debet qui piè velit eſſe Chriſtianus, in ſtupendo Euchariſtiæ ſacramento, ut primùm inſpiciat quid Chriſtus edixerit; deinde ſumma cum animi modeſtia inquirat, quibus argumentis humana ratio ad tam grande ſecretum penetrare poſſit; quò ſaltem myſterii magnitudine poſtquam humanæ mentis vires oppreſſæ fuerint, ad tanti ſacramenti venerationem admirabundus quantum fieri poteſt demiſsè procumbat.

Hi ſunt enim gradus per quos ad rerum cœleſtium faſtigia nitimur : ut primùm fides tamquam fundamentum ſternatur ; deinde accurata cognitio rerum , & vis argumentationum accedat, ut eruditè docuit olim Clemens Alexandrinus. In quam ſententiam eleganter ſcholæ Alexandrinæ alumnus & Eccleſiæ Epiſcopus Cyrillus lib. 4. in Joannem cap. 4. hæc verba uſurpavit : *Nam poſt fidem cognitio ſequitur , non illam antecedit, quemadmodum ſcriptum eſt : Si non credideritis , non intelligetis. Poſtquam enim baſis inſtar conſtituta fuerit in nobis ſimplex nec curioſa fides* ἀπεριέργαστος, *ſuper hac deinceps ac paulatim cognitio ſtruitur ; quæ nos ad menſuram ætatis , quæ in Chriſto eſt , attollit , & ad virum perfectum ac ſpiritualem.*

Itaque ſola Dei teſtificantis authoritas Chriſtianæ fidei regulas condit, quas idoneis in ſcriptura verbis abſque ullo orationis ornatu diſertè atque ſincerè proponit. His ſupra captum ingenii , & humanæ ſcientiæ modum poſitis aſſenſum ſuum opitulante Dei gratiâ , & menti prælucente interiùs, adhibent fideles. Deinde ex frequenti creditarum rerum tractatione , aſſurgit cognitio illa , quæ ad fidem tuendam , & illuſtrandam adjumenta non mediocria ſuppeditat. Sed limites certos huic diſquiſitioni defigere oportet , ne in abrupta quædam errorum præcipitia delabamur ; Itaque juxta Auguſtinum lib. 9. de Trinit. c. 1. *De credendis nullâ infidelitate*

dubitemus: de intelligendis nullâ temeritate affirmemus. In illis auctoritas tenenda eſt: In his veritas exquirenda. Nempe nec fidei regula ullâ dubitatione violari debet: nec quæ ex fidei principiis deducta, intelligere commentando ac diſſerendo conamur, temerariis decretis aſtruenda ſunt.

Quo in munere exequendo, *etiamſi cum grandi metu ac diſciplina, etiam pro religione dici debeat*, ut obſervat Salvianus, modum & legem ab antiquis tractatoribus ſummâ prudentiâ præfixam ſervabimus, ſi perpetuum Eccleſiæ ſenſum in regulis illis proponendis & interpretandis ingenio docili faciles ſequamur: Illud apud nos conſtituentes, quod monuit Juſtinus in Expoſitione fidei, divinarum rerum notitiam ſummo ſtudio indagandam eſſe: *cum autem eam præ imbecillitate minus aſſequi poterimus, venerari eam nos oportere ut comprehenſione majorem, ne evacuetur fides noſtra.* Hoc eſt enim conſtans & antiquum penes Eccleſiam: *quæ*, ut docet Gregorius 14. Moral. c. 12. *in omne quod veraciter ſapit, ſenſum ſuum humiliter deprimit, ne in requiſitione occultorum tumeat; & perſcrutari aliqua, quæ ultra vires ſunt illius, præſumat.*

Hæc cautio eſt adhibenda maximè in Euchariſtiæ diſquiſitione, quæ quia ſenſibus humanis objecta, ab eorum judicio non niſi magno conatu vindicari poteſt; ut de illa credamus quod Magiſter fidei auctoritate ſummâ ſemel conſti-

tuit. Ejus rei quotidianum experimentum capimus, ex hujus ætatis hæreticorum in verendum iſtud myſterium per ſummum ſcelus conſarcinatis, & in tot volumina per occidentem publicata congeſtis blaſphemiis: Hâc enim peſte non laborat ulla pars Orientalis Eccleſiæ.

Equidem non diffiteor, quin veritatis hoſtium ſacrilegos impetus graviſſimi Theologi, iſto, & ſuperiore ſæculo ſumma cum diligentia, & pari eruditionis laude feliciter propulſarint: diſcuſſis omnium retro ætatum Chriſtianæ religionis magiſtrorum teſtimoniis; ex quibus ſecundum hodiernam Eccleſiæ doctrinam Synodi Tridentinæ decretis renovatam pronunciandum eſſe pervicerunt; quæ ſanxit in Euchariſtia, panis, & vini ſubſtantiam in corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam, Dei omnipotentiâ converti.

Attamen non deſinunt, non ſolùm argutis ineptiis ex mera naturali Philoſophia, & Dialecticæ apparatu petitis, moleſtiam exhibere Catholicæ pietati: ſed etiam antiquos Patres, quorum auctoritate lis iſta componenda, quantumlibet invitos trahere conantur in partes, & negotium alioqui eorum in libris manifeſtum, ſolertiâ ſuâ obſcurare tentant: nempe ut omni ſubſidio veræ & antiquæ ſcripturarum interpretationis remoto, mens fluctuet in ambiguo, & ſenſuum teſtimonio, humanæque rationis argumentis cedens, ſe in hæreſim prolabi patiatur: eâ quoque ſuſpicione ſaltem delinita, Patres

antiquos vel omnes, vel aliquos non alienos fuiſſe à Novatorum ſententia. Hi autem aut negant panem conſecratum Corpus eſſe Chriſti, & illius tantùm eſſe ſacramentum profitentur, quo per fidem, Corporis Chriſti ſubſtantia ſpiritualiter animæ exhibeatur, ut inde ſe alat, & paſſionum Chriſti memoria reficiatur: Vel docent, Corpus Chriſti eâ ratione præſens eſſe pani, ut nullâ mutatione in ſubſtantia panis factâ ei ſacramentali unione conjungatur.

Non me latet per noſtrorum Theologorum curioſas, ſed non neceſſarias inquiſitiones infeliciter accidiſſe, ut Eccleſiæ latera mucroni hæreticorum in hac controverſia patuerint; ſed ejuſdem quoque ſubtilibus ſcholæ argumentis id obtinemus hodie, ut à male feriatorum hominum contumeliis, & irruptionibus fidei ſinceritas vindicetur.

Ad hujus controverſiæ illuſtrationem, meam quoque ſymbolam conferre ſtatui; quæ obſcuris Patrum locis lucem fortaſſe aliquam adferre poterit; & evincere, longiſſimo intervallo Tractatores illos remotos fuiſſe ab hæreticis, quæ hodie vigent, opinionibus, & ſua interpretatione longius ab iis receſſiſſe quàm ipſemet hodiernus Eccleſiæ Catholicæ loquendi modus ab iiſdem diſtet.

Quod ut obtineam, rem propoſitam aggrediar, quam in duo ſumma capita diſtribuo. Duplex enim eſt hujus controverſiæ inſpectio; Al-

tera, quæ Regulam Fidei in hoc myſterio proponit; quid credendum ſit, ex ſcripturæ verbis demonſtrans. Altera, ſacramenti iſtius in aperiendis, ſecretis & interpretatione atque diſſertatione accuratâ illuſtrandis verſatur.

Hujus myſterii inſtitutionem referunt tres ſacri Evangeliorum auctores, quibus accedit Paulus qui ipſo ex ore Domini doctrinam ſe iſtam hauſiſſe ſcriptis prodidit. Tota res apertior erit, ſi nobis ob oculos proponamus, Chriſtum Dominum poſt peractos cœnæ legitimæ ritus, & eſum paſchalis victimæ, quæ futuram iſtam deſignaverat, panem azymum, quo uſus erat in Paſchatis celebratione juxta legis præſcriptum, manibus ſuis accepiſſe, & actis Deo gratiis benedixiſſe, fractúmque diſcipulis ſuis recumbentibus diſtribuiſſe, teſtatus hoc eſſe Corpus ſuum, quod pro humani generis ſalute mox neci tradendum erat.

Hæreamus paulisper in expendenda panis iſtius benedictione, quam & gratiarum actionem quoque appellat Evangeliorum contextus. Morem iſtum benedicendi panis Chriſtus uſurpavit, Judæis familiarem, qui cibum nullum aut vinum ſumere ſoliti, niſi priùs Deo tanquam conditori, Donatoríque χορηγῷ τῆς τροφῆς laudes & grates egiſſent additâ precatione, ut notum non ſolùm ex Thalmudicis ſcriptoribus, ſed etiam ex Philone, atque Joſepho. Precatio iſthæc à Judæis *ſanctificatio* dicitur, quoniam

113
niſi ea præceſſiſſet, cibus pro prophano habebatur: eâ verò adhibitâ, *ſanctus*, id eſt, quo veſci fas eſſet. Quem morem commendat Paulus, cibum nullum rejiciendum docens, qui *cum gratiarum actione* ſumatur, quippe ſanctificari per verbum Dei, & *orationem*. Ubi obſervabit lector, *Gratiarum actionem* per *orationis* verbum à Paulo ipſo explicari: quia duo hæc pietatis officia unicâ formulâ conjuncta erant. Nempe, ut adnotavit Joſephus, *juſta eſt gratiarum actio, quæ & ad rependendum beneficium jam acceptum refertur, & ad futura mala amolienda.*

Ex quo factum, ut paſſim quando de panis benedictione ſermo inſtituitur, promiſcuè pro eodem ponantur *Benedicere*, & *Gratias agere*. Quod in hiſtoria panum multiplicandorum Matthæus, & Lucas dixêre, *Cælum intuens benedixit*, Johannes ſic expreſſit, *Gratias agens dedit*. Marcus verò, *Gratias agens fregit.* Non mirum ergo, ſi in recitandis verbis de ſacrato pane, Lucas & Paulus dixerunt *Gratias agens*, quod Matthæus, & Marcus, *Benedicens*.

Plena autem & propria locutio eſt, *Gratias agere Deo*, quæ integra reperitur, & quidem in mentione frangendi panis Actorum 27. quod tantumdem valet, ac Lucæ illud c. 1. & 2. & 24. & Jacobi 3. *Benedicere Deo.* Sed Hebræi, atque iſtos ſecuti Helleniſtæ qui Græcè ſcribentes, vim Hebraïcarum dictionum in Græcas invexerunt, amant locutionis compendia; quare *Benedicere*

alicui dicunt, pro plena phraſi, quæ eſt *Benedicere Deo pro aliquo.* Quod loquendi genus non ſolùm apud ſeptuaginta Interpretes, ſed etiam in Evangeliis reperire eſt, ut Marci 10. Luc. 2. 9. & 24. Hac ratione *Benedicere pocula* dixit in hoc argumento Paulus, & *Gratias agere.* Non enim minus rectè dicitur εὐχαριστεῖν ἄρτον aut ποτήριον, *Gratias agere pani, vel poculo*, quàm εὐλογεῖν, *benedicere.* Quo Apoſtolorum exemplo Chriſtiani veteres uſi ſunt, ut patet ex Juſtino, qui dixit εὐχαριστηθέντα ἄρτον, *Panem Euchariſtiſatum, ſive, in quo gratiæ artæ ſunt.*

Cœterum formula communis *Benedictionis*, ſive *Gratiarum actionis* apud Hebræos hæc erat. *Benedictus Deus noſter, Dominus mundi, qui produxit panem de terra.* De vino ſimiliter dicebant: *Benedictus Deus noſter, Dominus mundi, qui creavit genimen vitis.* Sed diebus feſtis accedebat mentio beneficii cujus tum memoria celebrebatur, ut in Paſchate, liberationis ex Ægypto. Quare Chriſtus in hac Euchariſtiæ inſtitutione, non pro veteri tantùm panis creatione gratias egit, ſed etiam pro redemptione generis humani, quæ in eo articulo poſita erat, ut quaſi peracta haberi poſſit, cujus memoriam hoc ſacramento conſignabat.

Veteres Chriſtiani hac in re ſecuti ſunt Dominum, conjungentes in peragendæ Euchariſtiæ formulis, gratiarum actiones, tum pro veteri creationis rerum aſpectabilium ad uſum hominis beneficio,

 114

neficio, tum præcipuè pro liberatione à peccatis per Chriſti mortem adepta, ut patet ex Juſtino, & Irenæo. Quo ſenſu in vetuſtiſſima quoque Miſſa Latina hæc leguntur: *Per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſanctificas, vivificas, benedicis & præſtas nobis.*

Ut autem ad Chriſti Domini actionem revertar, non ſolùm gratias egit, & benedixit Deo pro panis & vini propoſitorum beneficio, & ejus, quæ mox adimplenda erat, humani generis redemptione: ſed etiam quod eſſet conſilium ſuum in novi iſtius ritus inſtitutione, apertiſſimis verbis ſignificavit: Acceptum enim panem quem diſtribuit Apoſtolis, dixit eſſe Corpus ſuum, quod tradendum erat in remiſſionem peccatorum.

Hic loquitur auctor, Dominúſque naturæ, fidei atque religionis Magiſter, à cujus verbis adeò omnis abeſt falſitatis aut ludibrii ſuſpicio, ut ipſe ſe *veritatem* eſſe profiteatur. Hic ergo graviſſima auctoritate palam edicit, panem quem antea in manus ſumpſerat eſſe Corpus ſuum. Quis non ſtatim ſibi perſuadeat, cúm panem Chriſtus doceat eſſe Corpus ſuum, non ampliùs eſſe panem, ſed Corpus: alioqui ſi panis eſſe perſeveraret, jam non eſſet Corpus: quod tamen eſſe Dominus diſertiſſimè teſtatur.

Scio quantis cavillationibus pateat facilis iſta, ſimplex & ſincera verborum Chriſti interpre-

tatio, quam tamen ſolam vetuſta Eccleſiæ traditio apud antiquos Patres amplexa eſt, omiſsâ Dialecticarum regularum anxiâ & ſcrupuloſâ indagatione, quæ in hanc formulam obſcuritatem potius quàm lucem invexit, ut ſuo loco videbitur.

Interim monendus eſt Lector in anteceſſum, hanc interpretationem regulis Grammaticis & Dialecticis eſſe conſentaneam. Perinde enim eſt ac ſi Chriſtus diceret, *Hic panis*, qui revera panis naturam obtinet, in momento quo verba illa recitantur, *Eſt Corpus meum:* ac proinde ne mendacium cadat in Chriſtum, ſtatim fit Corpus, virtute divina. Hoc quippe diſcrimen intercedit inter hominum orationes, & effata Dei; quòd illæ ſignificent quod in rebus reperitur: Dei autem omnipotentis verba, & res ipſas ſignificent, & ſi opus ſit, ad firmandam effatorum veritatem, rerum naturam immutent. *Operatorius enim eſt ſermo Chriſti*, ut de hoc myſterio diſſerens loquitur Ambroſius.

Neque eſt quod excipiant Novatores, vim verborum ad id tantum porrigi, ut panis dicatur ſignificare, vel eſſe ſignum corporis Chriſti exclusâ interim ejus veritate. Iſthæc enim explicatio aliena eſſet à proprio & ordinario verborum ſenſu: quæ nullam in ſe figuram & ſignificationem patiuntur. Dictio etenim iſta, *Hoc* panem verum, atque naturalem ſignificat, ut fatentur ultro, & objicere etiam nobis ſolent

115
adverſarii. *Corpus* verò diſertè ſignificat verum & naturale Chriſti corpus, quod neci tradendum erat, ut docent Evangelia. Quare repudianda eſt explicatio, quæ invito etiam Chriſto ipſo, *ſacramentum Corporis*, dictione *Corporis* ſignificari contendit. Ut enim certum eſt verum propriúmque Chriſti Corpus morti dedendum, non autem panem prout eſt ſacramentum Corporis: pari modo pro certo ac indubitato haberi debet, dictionem *corporis* in hac formula adhibitam, ut demonſtraretur veritas Corporis, quod necandum erat. Si qua ergo in hanc formulam figura irrumpere poſſe dicatur, neceſſe eſt ut per rimulam vocis *Eſt* vi, aditum ſibi faciat. Atqui planum eſt apud Grammaticos, & Dialecticæ tirones nedum magiſtros, verbi ſubſtantivi hunc eſſe in oratione uſum, ut partes illius connectat, & ſolo vinculi extrema conjungentis munere defungatur. Quare ſi qua incidat in orationem figura, partium extremarum alterutri, id eſt ſubjecto, vel attributo, competit, non autem vinculo.

Exemplum ejus quod propono, deſumi poteſt ex decantata illa & ab Adverſariis ſæpiſſime intorta, quæ in ſcripturis extat locutione, quam huic noſtræ geminam contendunt: *Petra erat Chriſtus*, apud Paulum: quæ in hanc convertitur, *Petra erat figura Chriſti*. Neque enim niſi abſurdè, & ſtolidè dici poteſt, petram, quæ in ſquallenti & arida eremi ſolitudine, Moſis vir-

gâ percuſſa, copioſas aquarum ſcaturigines effudit, ad Judæorum ſitim extinguendam, fuiſſe Chriſtum ipſum; ſed potius venturi illius, & aquis gratiæ ſalubribus fideles inundaturi figuram & imaginem. Hîc itaque nec figuratè accipienda eſt dictio *Chriſtus*, nec vinculum nectens extrema, ſcilicet *Eſt* vox ſubſtantiva. Figura cadit in petram, quæ Chriſti perſonam & ab eo redundatura in fideles beneficia deſignabat, ut docet ipſemet Apoſtolus. Quare ſi majeſtas divinarum ſcripturarum ad regulas Priſciani demittenda ſit, hoc modo ſincerè ſuperiorem locutionem expediemus. *Petra autem figuratè ſumpta erat Chriſtus.* Ubi interim adnotandum eſt, nos ipſis ſcripturæ verbis, diſertè moneri, has ipſas locutiones figuratè intelligendas. Quod aliter accidit in formula Euchariſtica, ubi Diſcipulis de figura ne leviter quidem monitis, ſeriò dicitur à Chriſto, abſque ulla verborum ambage, Panem illum eſſe Corpus ſuum.

Porro gnaviter adnotandum eſt, hanc formulam concipi pronomine demonſtrativo, *Hoc*: quo ſignificatur ſpeciem illam panis, quam præ manibus gerebat Chriſtus, ita eſſe illius Corpus poſt recitatam formulam, ut nihil in ea reperiri queat, quod non pertineat ad Chriſti Corpus; ut ſtatim uberiùs & apertiùs docebitur.

Explicationis vetuſtæ idoneum, ut puto, & adverſus quem Novatores non ſolent de veræ fidei intelligentia excipere, laudabo teſtem Epi-

phanium. Is in Ancorato, obſervat Chriſtum ſumpſiſſe rem albam inanimam, & humanis lineamentis omnino abſimilem, quam tamen ſuum corpus eſſe dixit, nempe ipſum verum Corpus, ut graviter monet idem Epiphanius: decreto ferali ſubjuncto adverſus contumacem huic veritati, nempe eum qui hoc non crediderit; alienum à ſalute fore.

Epiphanio itaque auctore conſtat panem conſecratum eſſe verum & proprium Chriſti corpus, & iſtud inter dogmata ad ſalutem adipiſcendam neceſſaria computari. *Videmus*, inquit in Ancorato, *quod accepit Salvator in manus ſuas, veluti Evangelium habet, quod ſurrexit in cœna, & accepit hæc, & ubi gratias egiſſet, dixit, Hoc, meum eſt hoc & hoc. Et videmus quod non eſt æquale, neque ſimile non imagini in carne, non inviſibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc, enim eſt rotundæ formæ, & inſenſibile quantum ad potentiam, & voluit per gratiam dicere, Hoc, meum eſt hoc & hoc. Et nemo non fidem habet ſermoni: Qui enim non credit eſſe ipſum verum, ſicut dixit, is excidit à gratia & ſalute. Quod autem audivimus, id credimus quod eſt ipſius. Dominum verò noſtrum novimus totum ſenſum, totum ſenſitivum, totum Deum, totum moventem, totum operantem, totum lucem, totum imcomprehenſibilem, ſed qui cum gratia hoc nobis largitus eſt.* Ubi loquendi modus obſervandus eſt; non tantùm enim Corpus Chriſti præſens pani conſecrato eſſe docet,

ſed panem illum, eſſe verum Corpus. Idem ſentiendum reliquit de vino.

Prodidit ille quod à majoribus ſuis didicerat: qui ſemotis ambagibus & diſputationum tricis, non tantùm Euchariſtiæ adeſſe carnem, ſed Euchariſtiam, carnem & ſanguinem Chriſti eſſe profitebantur.

Ignatij martyris apertiſſima ſunt in hanc ſententiam verba apud Theodoretum; Quæ maximi ponderis habenda ſunt apud Novatores ob hujus Eccleſiæ Patris antiquitatem & auctoritatem, ut inferius relata videbuntur.

Juſtinus in apolog.2. *Quemadmodum*, inquit, *per Verbum Dei caro factus eſt Chriſtus ſervator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſâ habuit: ad eumdẽ modum, in qua per preces verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ actæ ſunt, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Ieſu carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus. Nam Apoſtoli in commentariis à ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt ſibi præcepiſſe Ieſum. Eum enim pane accepto cùm gratias egiſſet, dixiſſe, Hoc facite in mei commemorationem. Hoc eſt Corpus meum; & poculo ſimiliter accepto & gratiis actis dixiſſe, Hic eſt ſanguis meus.*

Tertullianus non alienus eſt à cœteris, quamvis ſæpius in aliis, ſuo dicendi genere duriore interdum licet ſubtiliore, mentem ſuam promere ſoleat. *Chriſtus*, inquit, *panem ſuum Corpus fecit, Hoc eſt Corpus meum dicendo.* Cui ſenten-

tiæ non officit, quod mox ſubjungit, *id èſt figura Corporis mei*, quæ prius effatum non evertit, ut poſteà dicam. Quare conſtanter hic auctor panem conſecratum Corpus Chriſti vocare conſuevit, ut lib. de Oratione c. 6. Corpus ejus in pane cenſetur, *Hoc eſt Corpus meum.*

Cyprianus ep. 56. *Gravior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta & virtute robuſta parare ſe debent milites Chriſti conſiderantes icciřco quotidie calicem ſanguinis Chriſti bibere, ut poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere.* Ep. 56.

Quare certiſſimum eſt hanc eſſe apud veteres interpretandi rationem, ut exiſtimarent hanc eſſe Grammatices conſtructionem, *Hic panis eſt Corpus meum.*

Sed ſtatim addunt qua ratione ſit vera enunciatio Chriſti, Nempe quoniam ipſius divina virtute, & per verborum Chriſti efficientiam, panis efficitur Corpus Chriſti, tranſit, transfertur, & mutatur in Corpus Chriſti.

Hanc ſententiam præ ſe ferunt omnes Liturgiæ Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ, in Miſſa Latina, dicentes de pane & vino propoſitis in altari: *quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilémque facere digneris, ut nobis fiat Corpus & ſanguis dilectiſſimi filij tui D. N. Ieſu Chriſti.*

Liturgia Iacobi Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, *Rogatus ut Spiritus ſanctus adveniens, ſancta, bona,*

& glorioſa ſua præſentia ſanctificet, & efficiat hunc panem Corpus ſanctum Chriſti tui, & calicem hunc pretioſum ſanguinem Chriſti tui, ut ſit omnibus ex his ſumentibus in remiſſionem peccatorum.

Liturgia Æthiopica: *Benedic, ſanctifica, munda, & transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam, & vinum hoc in ſanguinem tuum pretioſum.*

Liturgia Baſilij: *Effice panem iſtum, Corpus glorioſum Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Liturgia Chryſoſtomi: *Emitte ſpiritum tuum ſuper nos, & ſuper propoſita dona hæc: Et fac panem quidem hunc, pretioſum Corpus Chriſti tui: & quod eſt in Calice illo, pretioſum ſanguinem Chriſti filij tui tranſmutans Spiritu ſancto tuo.*

Quare rectè eximius ille Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, rationem reddens, cur in veteribus Liturgiis à Baſilio in compendium redactis tot orationes ipſum ordinem agendi ſive conſecrationem antecedant, ait, per has preces adventum Spiritus ſancti expectabant, ut ejus divina præſentia, propoſitum in ſacrificium panem & vinum aquæ permixtum, ipſum illud Corpus & ſanguinem ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti efficiat.

Præter Liturgias verò, ubi, quod à Deo poſtulatur, beneficium abſque ambage ulla proponi neceſſe eſt, veteres illi Magiſtri, qui recèns tinctos fideles docebant; quid de hoc myſterio ipſis credendum eſſet, apertè tradunt, panem fieri verum Corpus Chriſti, ex vi verborum ab ipſo

ipſo Domino ſemel prolatorum. Et ut illius potentiam in mutanda panis natura demonſtrent, accerſunt varia exempla è ſcripturis petita ; ex quibus diſcant fideles, Dei poteſtati ſubjici naturas, ut eas ex nihilo condat, vel ſemel productas, in alias naturas convertat.

Cyrilli locus inſignis eſt in Catecheſi 4ª Myſt. *Cùm igitur Chriſtus ipſe ſic affirmet, atque dicat de pane, Hoc eſt Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante & dicente, Hic eſt ſanguis meus, quis inquam, dubitet; & dicat non eſſe illius ſanguinem? Aquam aliquandò mutavit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galilææ, ſola voluntate: Et non erit dignus cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutaſſet. Si enim ad nuptias corporeas invitatus, ſtupendum miraculum operatus eſt, & non multo magis Corpus & ſanguinem ſuum filijs ſponſæ dediſſe illum confitebimur. Quare cum omni certitudine Corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus. Nam ſub ſpecie panis datur tibi Corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis, ut ſumpto corpore & ſanguine Chriſti, efficiaris ei comparticeps Corporis & ſanguinis,* σύσσωμος καὶ σύναιμος. *Chriſtophori erimus, cùm ejus Corpus & ſanguinem in membra noſtra receperimus, atque ita ut B. Petrus dicit, divinæ conſortes naturæ efficiemur, &c. Hoc ſciens & pro certiſſimo habens, panem hunc qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe Corpus Chriſti; & vinum quod à nobis conſpicitur,*

tametſi guſtui vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti.

Elegantiſſima eſt in hanc ſententiam Gregorij Nyſſeni oratio Catechectica in c. 37. Ubi poſtquam docuiſſet, alimentum hominis præcipuum in pane, & vino aquâ temperato conſiſtere, quod in aliti ſubſtantiam vertitur, ſubjunxit. Chriſtum Dominum quando verſabatur in terris, pane vitam ſuam foviſſe: qui ſemel comeſus viribus naturæ in Corporis Chriſti ſubſtantiam tranſibat: Quod quidem Corpus ob conjunctionem cum verbo ad divinam dignitatem evectum erat. Quæ autem tuncfiebat naturæ viribus panis tranſmutatio in Corpus Chriſti cum divino verbo unitum, nunc fieri oſtendit, in Euchariſtia verbis Chriſti.

Rectè ergo nunc quoque, inquit, *Dei verbo ſanctificatum panem, in Dei verbi Corpus credo tranſmutari:* Mox, *Igitur unde in illo Corpore tranſmutatus panis tranſivit in divinam virtutem, per idem nunc fit ſimiliter. Nam & illic verbi gratia ſanctum fecit Corpus, cui ex pane erat ſubſtantia, & quodam modo ipſum quoque erat panis: Et hic ſimiliter panis, ſicut dicit Apoſtolus, ſanctificatur per verbum Dei & orationem, non per cibum, & potum procedens ad Corpus verbi; ſed à verbo, quemadmodum dictum eſt, tranſmutatus, nempe Corpus meum.*

Chryſoſtomus Homil. 83. ad c. 26. Matthæi: *Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei,*

etiamſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur quod dicit, ſuperétque ſenſum & rationem noſtram ſermo ipſius, quod in omnibus, & præcipuè in myſterijs faciamus, non illa quæ ante nos jacent ſolummodò aſpicientes, ſed verba quoque ejus tenentes. Nam verbis ejus defraudari non poſſumus, ſenſus verò noſter deceptui facillimus eſt: illa falſa eſſe non poſſunt, hic ſæpius atque ſæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, hoc eſt Corpus meum; nullâ teneamur ambiguitate, & oculis intellectus id perſpiciamus. Mox: *O quot modò dicunt, vellem formam & ſpeciem ejus, vellem veſtimenta ipſa, vellem calceamenta videre. Ipſum igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis, &c. Non ſunt humanæ virtutis hæc opera: quæ tunc in illa cœna confecit, ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit, Miniſtrorum nos ordinem tenemus: qui verò hæc ſanctificat, & tranſmutat, ipſe eſt.*

Idem homilia de proditione Judæ: *Et nunc ille præſto eſt Chriſtus, qui illam ornavit menſam, iſtam quoque conſecrat. Non enim homo eſt qui propoſita de conſecratione menſæ Domini Corpus Chriſti facit & ſanguinem: ſed ille qui crucifixus eſt pro nobis Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur & gratiâ. Hoc eſt, ait, Corpus meum. Hoc verbo propoſita conſecrantur, & ſicut illa vox quæ dicit, Creſcite & multiplicamini & replete terram, ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem operante naturâ: Ita & vox illa ſemel quidem dicta*

eſt: ſed per omnes menſas Eccleſiæ uſque ad hodiernum diem, & uſque ad ejus eventum, præſtat ſacrificijs firmitatem.

Claudet chorum iſtum Cyrillus Alexandrinus, cujus illuſtria ſunt verba in epiſtola ad Caloſyrium: *Non dubites an hoc verum ſit eo manifeſtè dicente; Hoc eſt Corpus meum. Sed potius ſuſcipe verba Salvatoris in fide. Cùm enim veritas ſit, non mentitur.* Mox docet, carnem humanam, quam Verbum aſſumpſit ſibíque propriam fecit, vivificandi vim ex verbo ſibi unito trahere. Et cùm eadem caro ſit in Euchariſtia, non recedere vivificandi vim à reliquijs ejus quæ in diem ſequentem ſuperſunt; quoniam Chriſti Corpus non mutatur. His deinde verbis concludit: *Decebat ergo eum noſtris quodammodo uniri corporibus per ſacram ejus carnem ac pretioſum ſanguinem, quæ accipimus in benedictione vivificativa in pane & vino. Ne enim horreremus carnem & ſanguinem appoſita ſacris altaribus, condeſcendens Deus noſtris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, convertens ea in veritatem propriæ Carnis, ut Corpus vitæ quaſi quoddam ſemen vivificativum inveniatur in nobis. Vnde ſubdit, Hoc facite in meam commemorationem.*

Accedit tamen illis ætate poſterior, ſed eruditione & nominis famâ inſignis Joannes Damaſcenus, qui fusè docet l. 4. Orth. fid. c. 14. *Quemadmodum Dei verbo efficaci orbis univerſus conditus eſt, ſic ex pane Corpus Chriſti, & ex vino &*

aqua ſanguinem ejus fieri. Mox addit: *Quo tandem modo mihi fiet iſtud? aiebat ſancta Virgo, quoniam virum non cognoſco. Reſpondet Archangelus Gabriel: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Tu quoque nunc quæris, quomodo panis Chriſti, & vinum cum aqua conjunctum ſanguis Chriſti fiat? Tibi item reſpondeo: Spiritus ſanctus ſupervenit, eáque efficit, quæ orationis facultatem, & mentis intelligentiam excedunt.* Mox: *Quoniam ita fert hominum uſus, ac conſuetudo, ut panem edant, vinum que & aquam bibant, idcirco divinitatem ſuam cum ipſis conjunxit, eáque* Corpus & *ſanguinem ſuum fecit, ut per uſitata naturæque conſentanea, ad ea quæ ſupra naturam ſunt aſſurgamus. Sane* Corpus *divinitati verè unitum, eſt illud* Corpus *quod ex ſancta Virgine ortum eſt; non quòd aſſumptum illud Corpus ex cœlo deſcenderit, ſed quia panis ipſe, & vinum in Corpus & ſanguinem Dei immutantur.*

Mox: *Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quòd quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum in comedentis & bibentis corpus, & ſanguinem immutantur, corpúſque alterum fiunt atque à priore ipſius corpore diverſum, ſic propoſitionis panis ac vinum & aqua per ſancti Spiritus invocationem, & adventum mirabili modo, in Chriſti Corpus & ſanguinem vertuntur, nec ſunt duo, ſed unum & idem.*

Non deſunt Latini Patres, qui eamdem interpretandi rationem ſequuntur: & in ea ſincerè

credenda fideles recèns myſterijs initiatos erudiunt. Quod officium luculenter implevit divus Ambroſius in lib. de his qui myſterijs initiantur c. 9. ubi multis exemplis probatâ Dei potentiâ in naturis mutandis, eamdem potentiam adhibitam docet ad mutandum panem in Corpus Chriſti per ipſa Domini verba. *Fortè dicas*, inquit, *aliud video, quomodo tu mihi aſſeris, quòd Chriſti Corpus accipiam? Et hoc nobis ſupereſt ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus non eſſe quod natura firmavit, ſed quod benedictio conſecravit; majorémque eſſe vim benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam ipſa natura mutetur. Virgam tenebat Moyſes, & facta eſt ſerpens.* Mox enumeratis aliquot alijs miraculis Moyſis, Eliæ, & Eliſæi, ſubjungit: *Quòd ſi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi ipſa verba Domini Salvatoris operantur? Nam ſacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur: quod ſi tantum valuit ſermo Heliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Chriſti ſermo ut ſpecies mutet elementorum. De totius mundi operibus legiſti: quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt. Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant? Non enim minus eſt novas rebus dare, quàm mutare naturas, &c. Ipſe clamat Dominus Ieſus, Hoc eſt Corpus meum, ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur,*

poſt conſecrationem Corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum. Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen, hoc eſt, verum eſt. Quod os loquitur mens interna fateatur, &c. Liquet quod præter naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus Corpus ex Virgine eſt. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Chriſti Corpore, cùm præter naturam ſit ipſe Dominus Ieſus partus ex Virgine.

Ejuſdem Ambroſij libri de Sacramentis, nec enim dubito, quin ſint gemini hujus auctoris fœtus, ſimilem doctrinam exhibent lib. 4. de Sacram. c. 4. *Tu fortè dicis, meus panis eſt uſitatus. Sed panis iſte panis eſt ante verba ſacramentorum; ubi acceſſerit conſecratio de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur aſtruamus, quomodo poteſt, qui panis eſt Corpus eſſe Chriſti? conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Ieſu.* Mox: *Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum. Quis ſermo Chriſti? Nempe is quo facta ſunt omnia.* Mox: *Iuſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides orgo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti? Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, ut inciperent eſſe quæ non erant; quanto magis operatorius eſt, ut ſint quæ erant, & in aliud commutentur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem. Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt. Ergo, ut tibi reſpondeam: non erat Corpus Chriſti ante conſecrationem. Sed poſt conſecrationem, dico tibi quod*

jam Corpus eſt Chriſti. Ergo didiciſti, quod ex pane fiat Corpus Chriſti: & quod vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis.

Sufficeret ſanè ſola religioſiſſimi, & eruditiſſimi Ambroſij auctoritas, ad Chriſtianæ fidei informationem. Sed alium auctorem adjungemus, ut ſciatur antiquos illos Magiſtros in hujus doctrinæ veritate conſenſiſſe.

Gaudentius Brixiæ Epiſcopus Tractatu 2. de Exodo: *Idem per ſingulas Eccleſiarum domos in myſterio panis ac vini reficit immolatus, viviſicat creditus, conſecrantes ſanctificat conſecratus. Hæc agni caro, hic ſanguis eſt. Panis enim qui de cælo deſcendit, ait, Panis quem ego dabo, caro mea pro ſæculi vita. Rectè etiam vini ſpecie, tum ſanguis ejus exprimitur: quia cùm ipſe in Evangelio dicit. Ego ſum vitis vera, ſatis declarat, ſanguinem ſuum eſſe omne vinum quod in figura paſſionis ejus offertur. Vnde Beatiſſimus Patriarcha Iacob de Chriſto prophetaverat dicens, Lavabit in vino ſtolam ſuam: quippe noſtri corporis indumentum, ſuo proprio erat ſanguine abluturus. Ipſè igitur naturarum Creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rurſus quia & poteſt & promiſit, efficit proprium Corpus: Et qui de aqua vinum fecit, & de vino ſanguinem ſuum.* Mox: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Paſcha eſt, inquit, Domini, hoc eſt tranſitus Domini. Ne terrenum putes, quod* cœleſte *effectum eſt per eum qui tranſit in illud, & fecit.*

& fecit illud ſuum Corpus, & ſuum ſanguinem. Mox: *Quod annunciatum eſt credas; quia quod accipis Corpus eſt illius panis cœleſtis, & ſanguis eſt illius ſacræ vitis. Nam cùm panem conſecratum & vinum Diſcipulis ſuis porrigeret, ſic ait, Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Credamus cui credidimus, neſcit mendacium veritas.* Mox: *Non infringamus os ipſius illud ſolidiſſimum, Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Si quid autem ſuperfuerit etiam nunc in uniuſcujuſque ſenſu, quod expoſitione iſta non ceperit, ardore fidei concremetur.*

Immutationem panis hujus in ſacramentum corporis Chriſti Deo quoque inviſibiliter operanti tribuit Auguſtinus quem nefas eſt ſuſpicari à Magiſtro ſuo Ambroſio diverſum ſenſiſſe. lib. 3. de Trin. c. 4. *Nec linguam quippe ejus, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos linguâ editos, nec ſigna literarum conſcripta pelliculis, Corpus Chriſti & ſanguinem dicimus: Sed illud tantùm quod ex fructibus terræ acceptum & prece myſticâ conſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritalem in memoriam pro nobis Dominicæ paſſionis. Quod cum per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur ut ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inviſibiliter Spiritu Dei: cùm hæc omnia quæ per illos corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur.* *Aug. lib. 3. de Trin. c. 4.*

Accedat Eucherius Lugdunenſis qui Euſebii Emiſſeni nomine citari conſuevit homilia 5. de

Paſcha : *Recedat omne Infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt veritatis. Nam inviſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo, ſecretâ poteſtate convertit, ita dicens: Accipite & edite, Hoc eſt enim Corpus meum: & ſanctificatione repetitâ; Recipite, & bibite hic eſt ſanguis meus. Ergo ſicut ad nutum præcipientis Domini, repentè ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cælorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum; pari potentiâ in ſpiritualibus ſacramentis, verbi præcipit virtus, & ſervit effectus. Nec dubitet quiſquam primarias creaturas nutu potentiæ, præſentiâ majeſtatis in Dominici Corporis tranſire poſſe naturam, cùm ipſum hominem videat artificio cæleſtis miſericordiæ corpus Chriſti effectum. Sicut autem quicunque qui ad fidem veniens, ante verba baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris debiti, his verò commemoratis mox exuitur omni fæce peccati; Ita quando benedicendæ verbis cæleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur, antequam innovatione ſummi numinis conſecrentur, ſubſtantia illic eſt panis, & vini: Poſt verba autem Chriſti, corpus & ſanguis eſt Chriſti. Quid mirum autem eſt ſi ea quæ verbo creare potuit, poſſit creata convertere? Imo jam minoris eſſe videtur miraculi, ſi id quod ex nihilo agnoſcitur condidiſſe, jam conditum in melius valeat commutare.*

Antequam ulteriùs progrediar, monendus eſt Lector, propoſitam ab Eucherio baptiſmi ſimi-

123

litudinem ad id pertinere, ut oſtendat vim tantam eſſe verborum quæ in ſacramentis adhibentur, ut efficiant ſtatim quod ſignificant. Ante baptiſmum peccatis infectus eſt Catechumenus, at verò poſt verba baptiſmi recitata à miniſtro, mox omni fæce peccati exuitur. Effectus verba ſequitur. Eodem modo in Euchariſtiæ myſterio, panis ſubſtantia altari imponitur, poſt verba autem Chriſti corpus & ſanguis eſt Chriſti. Quare ridicula eſt & jocularis hæreticorum adnotatio, qui ex hac ſimilitudine colligi poſſe putant, Eucherium de immutatione quadam ſpirituali & morali, quæ fiat in pane, locutum, cùm tam ſeriò veram panis in Corpus mutationem nobis credendam ingerat.

Cœterùm non ſolùm Patres illi quos protulimus ut doceretur quâ ratione panis fieret corpus Chriſti, apertiſſimè profeſſi ſunt Corpus illud conſecratum, eſſe verum Chriſti corpus: ſed cœteri quoque omnes, licet omnes non explicuerint quâ ratione id fieret, contenti hâc unâ doctrinæ profeſſione, quæ ad ſalutem neceſſaria erat. Porro illi promiſcuè vel Corpus appellant, vel Carnem, primam appellationem ex formula conſecrationis mutuantes: alteram ex capite 6. Joannis, ubi Chriſtus tantopere commendat Carnis ſuæ eſum: quæ dupliciter fieri cùm poſſit, tùm per fidem in illum, qua de re cum Judæis tunc agebatur; tùm per Euchariſtiæ myſterium, illud inſinuatum à Chriſto fuiſ-

ſe quaſi mox inſtituendum ſummo conſenſu do-
cent veteres, inter quos Auguſtinus, & Cyrillus Alexandrinus in Commentariis in Joannem.

Quare verum Corpus, ipſum Corpus Chriſti gloriosum, precioſum, incorruptum & quod incarnatum eſt, hoc ſacramentum appellant; carnem quoque ſpiritualem, immortalem, vivificatricem & intelligibilem eſſe Chriſti aſſerunt: Panem quoque cœleſtem, divinum, panem vitæ. quod de ſanguine ſimiliter docent. E multis aliquot ſeligam.

Familiam ducet Ignatius martyr in epiſtola ad Smyrnenſes, laudatus à Theodoreto dialogo 3. *Euchariſtias & oblationes non admittunt*, (loquitur de hæreticis ſuæ ætatis), *quòd non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit.*

Origenes Homil. 5. in diverſos: *Quando ſanctum cibum, illúdque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane, & poculo frueris, manducas & bibis corpus & ſanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians teipſum, imitare hunc Centurionem, & dicito, Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum. Vbi enim indigne ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipientis.*

Lib. 8. contra Celſum: *Quocirca Celſus ut Dei ignarus, gratias dæmonibus reddat. Nos verò conditori omnium Deo gratias agentes, & pro collatis in*

nos ejus beneficiis, actis gratiis, oblatis panibus veſcimur, qui utique per precem efficiuntur Corpus ſanctum, & ſanctificans eos qui ſano propoſito, & mente ipſis utuntur.

Euſebius Cæſarienſis apud Damaſcenum in Parallelis lib. 3. c. 48. *Multi peccatores cùm Presbyteri ſint, ſacris operantur, nec Deus eos averſatur. Verùm per Spiritum ſanctum propoſita dona conſecrat. Ac panis quidem pretioſum Domini Corpus efficitur, poculum autem pretioſus Domini ſanguis.*

Synodi Nicænæ Diatypoſis apud Gelaſium Cizicenum lib. 3. *In divina cœna ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & poculum: ſed attollentes mentem, fide intelligamus, ſitum in ſacra illa menſa, Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum: & pretioſum ejus Corpus ac ſanguinem nos verè ſumentes, credere hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola. Propter hoc etiam, nec multum accipimus, ſed parum: ut ſciamus quod non ſatietati, ſed ſanctimoniæ ſumpſimus.*

Ephrem Syrus, de natura Dei non ſcrutanda, c. 5. *Eſto fidelis & innocens, participa immaculato Corpori Domini tui fide pleniſſima: certus quòd Agnum ipſum integrum comedis. Ignis immortalis ſunt myſteria Chriſti, noli temerè ea perſcrutari, ne in ipſorum perſcrutatione comburaris. Hoc ſanè excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnémque ſermonem, quod fecit nobis unigenitus Filius Chri-*

ſtus Salvator noſter. Ignem & Spiritum manducandum ac bibendum præſtitit nobis carne veſtitis, Corpus ſcilicet ac ſanguinem ſuum.

Baſilius in epiſtola ad Cæſariam Patriciam: *Communicare per ſingulos dies, & participare de ſacro Corpore & Sanguine Chriſti, & pulchrum eſt, & valdè utile, ipſo manifeſtè dicente: Qui edit meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam. Quis enim ambigit, quin frequens vitæ participatio nihil aliud ſit, quàm plurimis modis vivere. Nos idcircò quater in ſingulis hebdomadis communicamus, die Dominico, in quarto die hebdomadæ, in Paraſceve, & in Sabbatho, ac aliis diebus, ſi qua memoria fuerit ſancti alicujus.*

Chryſoſtomus oratione de Philogonio: *Si cum fide acceſſerrimus, procul dubio videbimus illum in præſepi jacentem. Siquidem hæc menſa vicem explet præſèpis. Nam & hîc ponitur Corpus Dominicum, non quidem faſciis involutum ſicuti tunc, ſed undiquaque Spiritu ſancto conveſtitum. Qui myſteriis initiati ſunt intelligunt quæ dicuntur.*

Idem Homilia 24. in c. 10. Prioris ad Cor. *Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? Valdè fideliter dixit, & terribiliter. Hoc eſt autem quod dicit. Id quod eſt in Calice, eſt id quod fluxit è latere, & illius ſumus participes.*

Idem lib. 3. de Sacerdotio: *O miraculum! ô Dei benignitatem! qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo, omnium manibus pertractatur,*

125

ac ſe ipſum tradit volentibus eum excipere ac complecti.

Cyrillus Alexandrinus in Synodo Epheſina anethematiſmo xi. *Sanctum ac vivificum, incruentúmque in Eccleſiis ſacrificium peragimus; Corpus quod proponitur, ſimiliter & pretioſum ſanguinem, non communis nobíſque ſimilis hominis cujuſpiam eſſe credentes, ſed potiùs tamquam proprium Corpus effectum, & Sanguinem etiam Verbi quod omnia vivificat accipientes; ſiquidem communis caro vivificare non poteſt, & hoc Salvator ipſe teſtatum facit: Caro inquiens non prodeſt quidquam, Spiritus eſt qui vivificat; quia enim caro Verbi facta eſt propria ob id intelligitur, & eſt vivifica, quemadmodum ipſe Salvator ait: Sicut me miſit vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: Et qui manducat me, & ipſe vivet propter me.*

Idem in Commentariis in Ioannem lib. 4. c. 13. *Quomodo poteſt hic carnem ſuam nobis dare? de Deo non ſine magna impietate conclamant* (Judæi), *nec in mentem venit nihil eſſe impoſſibile apud Deum.* Et mox: *Si verò tu Iudæe quomodo etiam nunc clamas, hanc tuam imperitiam ego quoque ſequutus, libenter quomodo ex Ægypto exiviſti rogabo, quomodo in ſerpentem Moſaïca fuit virga converſa? &c.* Cap. 14. *Quoniam igitur Salvatoris caro verbo Dei, quod naturaliter vita eſt, conjuncta, vivifica effecta eſt, quando eam comedimus, nunc vitam habemus in nobis.* Cap. 16. *Non ergo erat* (Manna) *cibus verus, id eſt panis de cælo. Samctum verò Chriſti corpus ad*

immortalitatem, & vitam æternam nutriens cibus eſt. Mox: *Non erat igitur potus ille verus; ſed verus potus eſt ſanguis Chriſti, quo radicitus mors evertitur.* Cap. 17. *Sicuti enim ſi quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit alteram cum altera per totum commiſceat; neceſſe eſt ſi quis carnem & ſanguinem Domini recipit cum ipſo ita conjungatur.*

Iſidorus Peluſiota lib. 1. ep. 123. *Ut Ioſephus Domini corpus ſindone involutum ſepulturæ mandavit, per quod univerſum mortalium genus reſurrectionem percepit: eodem modo nos propoſitionis panem in ſindone ſanctificantes, Chriſti corpus ſine dubitatione reperimus.*

Idem ep. 209. *Cùm Deus eſt Salvator noſter in myſtica menſa communem panem, proprium incarnationis ipſius corpus reddit, quod tu, ô veſane, eum quiddam factitium, aut creatum, aut ſervilis materiæ eſſe doces.*

Apud Latinos Patres vetuſtioris ævi occurrit Tertullianus, qui lib. 1. contra Marcionem c. 14. ait Chriſtum, *Pane Corpus ſuum* repræſentare, id eſt præſens exhibere, quæ vis eſt hujus dictionis apud Juriſconſultos. Et lib. 4. c. 40. *Chriſtus acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, Corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt Corpus meum dicendo.*

Cyprianus ep. 56. *Armemus & dexteram gladio ſpirituali, ut ſacrificia funeſta fortiter reſpuat, & Euchariſtiæ memor, qua Domini Corpus accepit, ipſum complectatur.* Et alibi ſæpiùs.

Hilarius lib. 8. de Trinitate: *Nunc enim & ipſius Domini*

Domini profeſſione, & fide noſtra, verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Et hæc accepta & hauſta id efficiunt; ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit.

Ambroſius lib. de his qui myſteriis init. *In illo Sacramento Chriſtus eſt, quia Corpus eſt Chriſti, non ergo Corporalis eſca, ſed ſpiritalis eſt. Vnde & Apoſtolus de typo ejus ait: quia Patres noſtri eſcam ſpiritalem manducaverunt, & potum ſpiritalem biberunt. Corpus enim Dei Corpus eſt ſpiritale. Corpus Chriſti, Corpus eſt divini Spiritus.*

Hieronymus ep. ad Heliodorum. *Abſit ut de his quicquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt* (id eſt conſecrant, hæc eſt enim vis dictionis illius).

Idem ep. ad Hedibiam qu. 2. *Nos audiamus panem quem fregit Dominus deditque Diſcipulis eſſe Corpus Domini Salvatoris.* Mox: *Nec Moyſes nobis dedit panem verum, ſed Dominus Ieſus ipſe Conviva & Convivium, ipſe comedens & qui comeditur, illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus.*

Idem ad c. 1. ep. ad Titum. *Tantùm intereſt inter propoſitionis panes, & Corpus Chriſti, quantum inter umbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa quæ per exemplaria præfigurabantur.*

Auguſtinus l. 2. c. 9. contra adverſ. legis. *Mediatorem Dei, & hominum hominem Ieſum Chri-*

ſtum, carnem ſuam nobis manducandam bibendúmque ſanguinem dantem, fideli corde atque ore ſuſcipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum ſanguinem potare, quam fundere.

Idem Sermone ad Neophytos: *Hoc accipite in pane quod pependit in cruce, hoc accipite in Calice, quòd manavit de latere Chriſti.*

Leo 1. Sermone 6. de jejunio ſeptimi menſis. *Dicente Domino, Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, ſic ſacræ menſæ communicare debetis, ut nihil prorſus de veritate Corporis & Sanguinis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur, & fruſtra ab illis Amen reſpondetur, à quibus contra quod accipitur, diſputatur.*

Gregorius lib. 4. Dial. c. 58. *Ejus quippe ibi Corpus ſumitur, ejus caro in populi ſalutem partitur, ejus ſanguis non jam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur.*

Enimvero ad integram Sacramenti explicationem diligenter animadvertendum eſt, duas eſſe hujus myſterij partes, Aſpectabilem alteram, ſenſibilem, viſibilem, & humanis ſenſibus objectam, quæ panis appellatione ab altera ſecerni poteſt. Alteram intelligibilem, & ſoli fidei patentem, quæ eſt Corpus Chriſti ſpiritale, inviſibili modo cum altera parte ſic conjunctum, ut una & ſolida fiat Euchariſtia Corporis & Sanguinis Chriſti.

Neque enim fieri poterit, ut τὰ νοητὰ res intelligibiles, id eſt quæ ſolo intellectu percipi poſſunt, nobis qui ex corpore concreti ſumus traderentur, niſi adhibito rerum corporearum miniſterio, ut optimè obſervat Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. *Nihil enim ſenſibile traditum nobis à Chriſto, ſed rebus quidem ſenſibilibus; omnia verò quæ tradidit inſenſibilia ſunt; ſic & in baptiſmo per aquam quæ res ſenſibilis eſt, donum illud conceditur, quod autem in ea conficitur, regeneratio ſcilicet ac renovatio, intelligibile quoddam eſt: Nam ſi tu incorporeus eſſes, nudè ipſa dona incorporea tradidiſſet tibi: quoniam verò Corpori conjuncta eſt anima tua in ſenſibilibus, intelligibilia tibi traduntur.* Explicat deinde quomodo Chriſtus ſuum tradat, nempe panem in illud tranſmutando.

Itaque, ut dixi ex duobus conflata eſt Euchariſtia, quorum unum ſenſibile, Panis ſcilicet; aliud intelligibile, nempè Corpus Chriſti. Quod ex B. Paulo veteres Patres Irenæus, Juſtinus, & reliqui, quos myſterij explicandi ſtudium ei muneri adſtrinxit, evidenter hauſerunt. Hic enim poſt memoratam panis in Corpus conſecrationem fideles hortatur, ne ad ejus cibi eſum imparati accedant: perniciem illis comminatur, qui ex pane illo, mente pollutâ comederint, utpote qui Corporis & Sanguinis Domini ſint futuri manifeſtè rei, non dijudicantes Corpus Domini. Id eſt, non ſeparantes eam cognitio-

nem, quam panis conſecrati reſidua natura, & appellatio ſenſibus ingerit, ab ea quæ puris fidei oculis obverſatur, Corporis immortalis ſubſtantia.

Irenæi elegans eſt in hanc ſententiam diſſertatio, quæ graviter ſacro-ſanctum Euchariſtiæ
Lib. 4. *c.* 32. myſterium explicat. Docet quippè Deum non exegiſſe ab hominibus ſacrificia in veteri lege, tanquam illis indigeret, qui erat omnium Dominus; ſed ſolùm ab iis fidem cum juſtitiæ operibus conjunctam expectaſſe, quam ſacrificiis ſuis teſtarentur. Subjungit quoque Chriſtum conſuluiſſe Diſcipulis ſuis, ne ingrati haberentur apud Deum; Illis quippè creaturarum primitias Deo offerendas præcepiſſe, ut ejus Corpus & Sanguis fierent, & ſic nova per univerſum orbem celebraretur novi Teſtamenti oblatio, à Malachia jam
C. 33. olim prænuntiata: quam per Jeſum Chriſtum offert Eccleſia. Quæ quidem oblatio, purum quidem eſt in ſe ſacrificium, Deóque gratum, &
C. 34. acceptum cùm ſit Corpus Domini; attamen cùm noſtri commodi cauſsâ id agatur, debet victimæ puritati, noſtræ quoque mentis integritas, & vitæ emendatæ innocentia adjungi: ut quemadmodum olim, *reſpexit Deus ad munera Abel, quoniam cum ſimplicitate & juſtitia offerebat*, ſic bonitatem ejus omni cultu mentis, & proximi dilectione, provocemus, ut quatenus à nobis hæc oblatio offertur, Deo quoque ſit accepta, quò nos beneficiis illis cumulet, quæ iſtis ſacrificiis

 128

promereri contendimus. Hanc autem oblationem ab Eccleſia ſola offerri : Non autem à Judæis qui verbum non receperunt, per quod offertur Deo : Neque ab hæreticis ; quoniam conditorem orbis alium eſſe à Deo profitentur : Unde ſequitur, quas Dei creaturas eſſe credimus, ſi Deo ipſi offerunt, alieni cupidum eum eſſe teſtentur, ac proinde oblationem illam, gravi injuriâ afficiant.

Statim verò graviſſimam diſputationem inſtituit adverſus hæreticos illos, & ex oblationis Euchariſtiæ uſu, quam illi non repudiabant, duo graviſsima fidei capita confirmat. Alterum eſt, Verbum eſſe Filium Dei, qui ſit quoque mundi conditor. Alterum carnem hominis poſt mortem ſuſcitari ad vitam.

Quomodo autem conſtabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ ſunt Corpus eſſe Domini ſui, & Calicem ſanguinis ejus, ſi non ipſum Fabricatoris mundi Filium dicant, id eſt, verbum ejus, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, & terra dat primum quidem fœnum, poſt deinde ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica. Nempe Filius Dei non adhibuiſſet res ab adverſario Patris ſui creatas ut eas efficeret corpus & ſanguinem ſuum ; quoniam verò eas adhibuit, patet conditorem mundi, non alium eſſe à Deo Patre Verbi. Pergit Irenæus : *Quomodo autem dicunt rurſus carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à Corpore Domini & ſanguine alitur.* Id eſt, ſi à Cor-

Digitized by Google

pore Domini, quod eſt immortale, caro hominis alitur, quî fieri poteſt ut hæretici ejus futuram reſurrectionem negent. Unde rectè concludit Irenæus utrumque caput. *Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo quæ prædicta ſunt.* Sententiam verò Catholicam ſic aſtruit: *Noſtra autem eſt conſonans ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus confirmat ſententiam noſtram. Offerimus enim quæ ſunt ejus, congruenter communicationem prædicantes Carnis & Spiritus. Quemadmodum enim, qui eſt à terra, panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrenâ, & cœleſti, ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia. Offerimus autem non quaſi indigenti, ſed gratias agentes donationi ejus, & ſanctificantes creaturam.*

Ut locus iſte rectè capiatur, obſervandum eſt, Euchariſtiam ex duabus rebus conſtare teſte Irenæo, quod probandum nobis propoſueramus. Alterâ terrenâ, alterâ cœleſti. Res illa terrena ſunt primitiæ creaturarum, id eſt primariæ ſubſtantiæ, ut vocat Gaudentius Brixianus, panis ſcilicet & vinum, quæ percepto Dei verbo fiunt Corpus & Sanguis Chriſti; eâ tamen lege ut non diſcedant à ſtatu ſenſibili, neque nutriendi naturam amittant, ut ſtatim docet. Res verò cœleſtis eſt ipſum Corpus Chriſti ſpirituale & intelligibile, quod dote immortalitatis cùm fruatur,

nullis perpeſſionibus, aut loci vel hominum injuriis eſt obnoxium.

Rectè itaque concludit ex hoc diſcrimine partium in Euchariſtia, & Chriſtianos offerre Deo quæ ſunt ejus, nempe panem & vinum, ut ejus invocatione percepta, fiant Euchariſtia. Hâc verò Euchariſtiâ à fidelibus comeſâ fieri, ut eorum corpora ſacro illo cibo alantur, & inde ad ſpem immortalitatis aſſurgant.

Quod manifeſtius declarat lib. 5. c. 2. ubi docet ex propoſito Chriſtum veram carnem humanam ſibi adjunxiſſe, & non fictitiam, ut carnem quoque noſtram in antiquo Adamo morte damnatam, vitæ reſtitueret, atque ſalutis faceret participem. Ut autem tanto beneficio potiamur indigere nos maxima cum illo communione. Qui autem fidem iſtam rejiciunt hæretici, carníſque ſalutem & futuram ejus immortalitatem negant, univerſam Dei diſpoſitionem contemnere, ait, ſícque cófirmat. Conſtans eſt Chriſtum ſalute hominum laborantem eos ſanguine ſuo redemiſſe, eóq; vero, qui è venis humani corporis effluxit: Vero quoque ſui ipſius ſanguine, & vera carne ſua, in Euchariſtia carnem noſtram reficere, & alere. Quare nemo inficiari rectè poterit, quin caro noſtra à corruptione ſit expers futura, quæ corpore immortali non ſolùm redempta eſt, ſed etiam nutrita: imò verò in id evecta, ut ſit membrum Chriſti. Quare quemadmodum vitis demiſſa in terram, & triticum ſolo quoque manda- *Lib. 5. c. 2.*

tum, ſuâ tempeſtate multiplices fructus edunt: qui deinde ad uſum hominum quotidianum parantur, poſtea verò Dei verbo ſanctificati Euchariſtia fiunt, quod eſt corpus & ſanguis Chriſti: Sic quoque corpora noſtra, ex ea nutrita & repoſita in terram atque reſoluta, ſuo tempore ſuſcitabuntur, Dei verbo reſurrectionem eis impertiente. Quædam ejus auctoris verba hîc apponemus: *Et quoniam membra ejus ſumus, & per creaturam nutrimur, & creaturam ipſe nobis præſtat, ſolem ſuum oriri faciens, & pluens quemadmodum vult, eum Calicem qui eſt creatura, ſuum ſanguinem qui effuſus eſt, ex quo auget noſtrum ſanguinem: & eum panem qui eſt à creatura ſuum Corpus confirmavit, ex quo auget noſtra corpora. Quando ergo & mixtus Calix, & fractus panis percipit verbum Dei fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & ſubſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia. Quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei quæ eſt vita æterna quæ ſanguine, & corpore Chriſti nutritur, & eſt membrum ejus.*

His ſemel animadverſis redeundum eſt ad priorem locum Irenæi, qui huic lucem præbet, & ab eodem mutuò ſumit. Euchariſtia cùm ex re terrena, id eſt pane externo, conflata ſit, & ex vero atque immortali Corpore Chriſti, ſic ut duo iſta unam ſolidam & integram Euchariſtiam conſtituant; Hinc fit, ut fideles qui per fidei vinculum Chriſto ut capiti conjuncti ſunt,

adeóque

130
adeóque ſunt ipſius membra, connectente illa ſuo capiti Spiritu divinitatis quæ eſt in verbo, ut ipſemet Irenæus docet lib. 5. c. 6. Illi inquam fideles alio etiam modo Chriſti membra fiant, Euchariſtiæ interventu: quæ ſingulari divini amoris induſtriâ ſic temperata eſt, ut ſit verum corpus, verúſque ſanguis Chriſti, quoad partem ſui cœleſtem; quæ tamen ſic commixta eſt cum terrena, ut panis ille conſecratus vim retineat nutriendi corporis humani. Unde prodit admiranda conjunctio, non ſolùm animæ fidelis cum Chriſto per fidem, uſque ad Spiritus, ſeu divinitatis participationem, ut loquar cum Auguſtino; ſed præterea corporis humani adhæſio cum corpore Chriſti, ad quod res illa terrena pertinet. Unde ſequitur, ut robur & ſemen quoddam corporibus imprimatur ad futuram reſurrectionem. Quare, ut rectiſſimè obſervavit Irenæus in dicto c. 34. lib. 4. ex Euchariſtia docetur communicatio & unitas carnis cum Spiritu. Ut enim Euchariſtia, ex vi conſecrationis, ex re terrena & cœleſti conſtat: ſic corpora noſtra poſt perceptam Euchariſtiam, habent adjunctum corrumpendæ alioqui carni pignus reſurrectionis, quod à Dei Spiritu illis confertur.

Irenæus l. 5. c. 6.

Juſtinus Martyr jam antea præiverat Irenæo, in verbis ſuperiùs recitatis ex Apologia, ubi carnem, quæ facta eſt propria Chriſti, quando ipſe caro factus eſt, vi & potentia Verbi effectam teſtatus; eodem modo, ex vi orationis ab ipſo

Verbo profectæ, panem eſſe carnem Chriſti antea incarnati, aſſeruit: Sic tamen ut reſideat in elemento illo viſibili facultas alendi corporis noſtri. Ubi obſervandum eſt Juſtini exactum & accuratum dicendi genus. Non enim dixit, eodem modo panem fieri Corpus, quo Verbum caro factum eſt, nempe per unionem panis cum carne; ſed quomodo Chriſtus à Verbo factus eſt caro, producente ſcilicet carnem in viſceribus B. Mariæ contra inſtitutum naturæ ordinem, & illius propriam faciente, efficacia ipſius Verbi contra naturæ ordinem, panem fieri propriam Verbi carnem. Quæ fuit Ambroſij obſervatio, quam ad illuſtrandum Juſtinum pertinere poſſe puto c. 9. de iis qui myſt. init. *Sed quid argumentis utimur? ſuis utamur exemplis, incarnationiſq; exemplo aſtruamus myſterij veritatem. Numquid naturæ uſus præceſſit, cùm Ieſus Dominus ex Maria naſceretur? Si ordinem quæris, viro mixta fœmina generare conſueverat. Liquet igitur quod præter naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus ex Virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe partus ex Virgine*, l. 4. de Sacr. c. 4. *Conſuetudo eſt ut non generetur homo niſi ex viro & muliere, & conſuetudine conjugali. Sed quia voluit Dominus qui hoc elegit Sacramentum & de Spiritu ſancto; & de Virgine natus eſt Chriſtus, hoc eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Vides ergo quia contra inſtituta & ordinem homo natus eſt ex Virgine.* Itaque Juſtinus con-

Ambr. c. 9. de iis qui myſt. init.

131
fert omnipotentiam Verbi in formanda utraque Carne; non autem in omnimoda ratione myſterij. Huc meliùs referri poteſt illud Damaſceni: *Quod ſi quo pacto id fiat requiris? Sat tibi ſit audire, quod per Spiritum ſanctum id fiat: quemadmodum, & ex ſancta Dei matre per Spiritum ſanctum Dominus ſibi, & in ſeipſo carnem condidit.*

Eâdem ratione in Concilio Nicæno, duæ ſunt partes Euchariſtiæ, panis, & poculum, & Agnus in menſa illa ſitus qui fide ſolâ perſpicitur: ita ut pretioſum ipſius corpus & ſanguinem ſumentes, credere debeamus hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola.

Sed præſtat cum Gregorio Nyſſeno ad myſterij iſtius penetrare ſecretum, & rationem commiſtæ carnis immortalis cnm ſenſibili contemplari. Adnotat ille in oratione Catechetica c. 37. hominem qui ex anima & corpore conſtat, anima quidem cum Chriſto contemperari per fidem, ut inde ſalutis occaſionem adipiſcatur; Corpus autem alio modo pervenire ad participationem ejus quod ſalutem præſtat. Quemadmodum enim ex cibi vetiti eſu quondam in mortem prolapſum eſt, neceſſum eſſe ut hauſto remedio intra viſcera, venenum illud propulſet. Quod aliunde peti non poteſt, quàm ex corpore Chriſti, quod de morte triumphavit, & vitæ nobis initium præbuit. Quare ſi corpus illud divinum intra corpus noſtrum mortale ſemel admiſſum fuerit, totum ad ſe tranſmutat & trans-

Gregor. Nyſſen. in ora. Cate. c. 37.

fert, id eſt ad naturam immortalem ſui ſimilem.

His adjungit verba iſta: *Sed fieri non poteſt, ut ſit aliquid intra corpus, niſi per eſum & potionem miſceatur viſceribus. Neceſſe eſt ergo eo modo quo natura poteſt, Spiritus vivificam ſuſcipere virtutem. Cùm autem ſolùm illud Corpus quod Deum ſuſcepit, hanc gratiam acceperit, oſtenſum ſit autem aliter fieri non poſſe, ut noſtrum corpus ſit in immortalitate, niſi per communionem cum immortali factum ſit particeps incorruptionis, oportet conſiderare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in univerſo orbe terrarum ſemper diſtribuitur, totum per partem ſit in unoquoque, & ipſum in ſe totum maneat.* Deinde docet id fieri per mutationem panis in Corpus Chriſti.

Hilarius aliam hujus inſtituti rationem adjunxit, quæ ſummam in fideles Dei benevolentiam commendat: nempe Sacramento Carnis communicatæ voluiſſe apud homines naturaliter manere, ut quemadmodum Pater in Chriſto eſt, Chriſtus in nobis eſſet. Si verè Verbum caro factum eſt, & nos verè Verbum Carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis, ſub Sacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit. Ita enim omnes unum ſumus, quia in Chriſto Pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt. Mox: *De naturali*, inquit, *Chriſti in nobis veritate*

quæ dicimus, niſi ab eo diſcimus ſtultè & impiè diſcimus. Ipſe enim ait. Caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtrâ verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Et hæc accepta & hauſta id efficiunt, ut nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Anne hoc veritas non eſt? Eſt ergo in nobis ipſis per carnem, & ſumus in eo, dum ſecum hoc quod ſumus in Deo eſt. Quod autem in eo per Sacramentum communicatæ carnis & ſanguinis ſimus, ipſe teſtatur dicens: Et hic mundus jam me non videt, vos autem me videbitis: quoniam ego vivo, & vos vivetis: quoniam ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

Nihil elegantiùs vel robuſtiùs dici poteſt ad aperiendam myſterij hujus inſtituendi cauſam, & ad ſignificandam Sacramenti naturam, & ſingulare beneficium, quod ejus miniſterio adipiſcimur. Sententia Hilarij in hæc pauca colligitur. Verbum Dei, carnem veram ſuæ perſonæ divinæ adjunxiſſe, eámque carnem à ſua natura æterna jam inſeparabilem, cibo Dominico, ſeu Sacramento carnis communicandæ nobis ſumendam præbuiſſe: ita ut Chriſtus ſit in nobis naturaliter, nempè ejus caro per Sacramenti interventum, & natura divina, quia ſeparari non poteſt à carne ſemel aſſumptâ.

Hinc eſt quod Cyrillus Hieroſolymitanus non

dubitarit aſſerere poſt Euchariſtiam perceptam fideles Chriſtum intra ſe gerere, & cum illo Concorpores & Conſanguines fieri: ob conjunctionem non ſolùm animæ, ſed etiam Corporis noſtri, cum illius corpore, ut ex Irenæo, Nyſſeno, & Hilario adnotavimus.

Non alia fuit mens Chryſoſtomi Hom. 45. in Joannem: *Neceſſariò diſcendum quàm admirabilia myſteria, & cur data ſint, & quænam eorum utilitas: Vnum corpus ſumus, & membra ex carne & oſſibus ejus. Quare initiati ejus præceptis parere debent. Vt autem non ſolùm per dilectionem, ſed reipſa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur quem nobis largitus eſt. Cùm enim ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum nobiſcum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maximè eſt. Hoc Iob ſignificabat de ſervis, à quibus maximè amabatur qui ſuum amorem præ ſe ferentes dicebant: Quis daret nobis, ut ejus carnibus impleremur? Quod Chriſtus fecit, ut majori nos charitate aſtringeret, & ut ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non ſe tantùm videri permittens deſiderantibus, ſed & tangi, & manducari, & dentes carni ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes impleri.*

Multus eſt in illuſtranda hac Chriſti conjunctione cum fidelibus per vivificā benedictionem Cyrillus Alexandrinus Commētariis in Joannem. *Cyrill. Alex.*

Præter eas quæ commemoratæ ſunt ſymbolorum viſibilium adhibendorum rationes, alia

quoque poteſt obſervari ex Ambroſio, ut ſcilicet horror carnis & cruoris abeſſet ab hoc myſterio, in quo adeò verè porriguntur caro & ſanguis Chriſti; ut ſi quod ſpecie viſibili operitur, inſpiciendum ſe præberet, corpus & ſanguis Chriſti in oculos corporeos incurreret. Quare ut abſit cruoris horror, adhibitus eſt viſibilium elementorum uſus. Lib. 4. de Sacr. c. 4. *Ergo didiciſti quòd ex pane fiat Corpus Chriſti, & quòd vinum & aqua in Calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione Verbi cœleſtis. Sed fortè dicis. ſpeciem ſanguinis non video. ſed habet ſimilitudinem. ſicut enim mortis ſimilitudinem ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis, ut nullus horror cruoris ſit, & pretium tamen operetur redemptionis. Didiciſti ergo, quia quod accipis, Corpus Chriſti eſt.* *Ambroſ. lib. 4. de Sacr. c. 4.*

Theophilactus in eamdem ſententiam in c. 6. Joan. *Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur. Et quomodo, inquis, non apparet nobis caro, ſed panis? ut non abhorreamus ab ejus uſu. Nam ſiquidem caro apparuiſſet, inſuaviter affecti eſſemus erga communionem. Nunc autem condeſcendente Domino noſtræ infirmitati, talis apparet nobis myſticus cibus, qualibus alioqui aſſueti ſumus.* Quæ ultima verba hauſit ex Damaſceno, qui notavit per res aſſuetas & familiares nobis tradita fuiſſe myſteria.

Auguſtinus verò & plerique alij rectè obſervant, electas fuiſſe panis & vini ſpecies ad hoc

Sacramentum conficiendum, ut ex earum natura myſterium unitatis tam fidelium cum Chriſto, quàm inter ſe faciliùs inſinuaretur. Iſtius unitatis vim, etſi ſuperiùs abundè explicata ſit, non alienum erit, Leonis 1. inſigni quoque loco illuſtrare. Is in ep. 23. ad plebem Cp. ait: *In Eccleſia Dei, in omnium ore tam conſuetum eſt, ut nec ab infantium linguis veritas corporis & ſanguinis Chriſti, inter communis Sacramenta fidei taceatur, quia in illa myſtica diſtributione ſpiritalis alimoniæ, hoc impartitur, hoc ſumitur; ut accipientes virtutem cœleſtis cibi in carnem ipſius, qui caro noſtra facta eſt tranſeamus.* Sumi ait cibum illum ſpiritalem, ut divinitatis cum carne conjunctæ virtute, in eam dignitatem fideles evadant, ut ſint caro Chriſti; eo modo quem ex Hilario propoſuimus: Si ſunt membra Chriſti, ſunt etiam connexi inter ſe, & unum corpus Chriſti conſtituunt. Unus enim panis ſumus, qui de uno pane participamus. inquit Paulus Apoſtolus. Quoniam verò panis ex diverſis granis tritici, & vinum ex pluribus acinis conficitur, rectè duo iſthæc adhibita ſunt ad Sacramentum unitatis.

Leo 1. ep. 23. ad plebem.

Præter quatuor illas rationes quas expoſuimus ſupereſt Quinta, ex qua diſcimus ideò inſtitutam Euchariſtiam in re ſenſibili, ut eſſet Sacramentum corporis Chriſti in cruce mortui, & ſanguinis in ea effuſi. Neque enim Sacramentum eſſe poſſet, quod eſt inviſibilis rei ſignum, niſi

134

niſi ex rebus ſenſibilibus ſaltem ex parte conſtaret.

Auguſtinus eleganter hanc partem exequitur, cujus ſententia de hoc Sacramento per varios locos ſparſa in compendium redacta eſt à Proſpero: cujus hæc ſunt verba: *Hoc eſt quod dicimus, hoc eſt quod modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium ſcilicet Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne, & ſanguine, Sacramento & re Sacramenti, id eſt Corpore Chriſti; ſicut Chriſti perſona conſtat, & conficitur ex Deo & homine.*

Hîc autem obſervandum eſt, Auguſtinum unà cum Hilario, Ambroſio, Hieronymo, Cyrillo, & reliquis Patribus ſibi perſuaſiſſe, quod verum quoque eſt, in capite ſexto Joannis illis verbis, *Panis quem ego dabo caro eſt pro mundi vita.* Et, *Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem*, promiſſam eſſe carnis eſcam per Euchariſtiæ Sacramentum exhibendam. Quare carnis appellationem æque ac corporis promiſcuè uſurpant, ad ſignificandam rem iſtius Sacramenti: quam ex pollicitatione colligunt exhibitam fuiſſe.

Unde lucem accipiunt hæc verba Hieronymi in Comment. Epiſtolæ ad Epheſios: *Dupliciter intelligitur caro Chriſti & ſanguis, vel ſpiritalis illa atque divina, de qua ipſe ait: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus; &, niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſan-*

guinem meum, non habebitis vitam æternam: Et caro quæ crucifixa eſt, & ſanguis qui militis effuſus eſt lanceâ. Caro nempe eadem dupliciter intelligi debet, inviſibilis ſcilicet, ſpiritalis & divina, quæ verè ſed eo tamen modo in myſteriis ſumitur: & viſibilis quæ crucifixa eſt: cujus memoria renovatur in myſteriis.

Ambr. l. 4. de Fide c. 5. . Ambroſius lib. 4. de Fide c. 5. *Caro mea vera eſt eſca, & ſanguis meus eſt potus. Carnem audis, ſanguinem audis. Mortis Dominicæ Sacramenta cognoſcis, & divinitati calumniaris. Nos autem quotieſcumque Sacramenta ſumimus, quæ per ſacræ orationis myſterium, in carnem transfigurantur & ſanguinem, mortem Domini annuntiamus.*

Duo quædam obſervat Ambroſius huic Sacramento ineſſe, quemadmodum obſervavit Auguſtinus; Carnem ſcilicet inviſibilem, & ſpecies elementorum viſibiles.

Unde idem Ambroſius in lib. de his qui myſter. initiantur, docet Corpus Chriſti in myſteriis eſſe corpus ſpiritale & divinum; & Chryſoſtomus eſſe intelligibile ſive νοητόν.

Caro itaque inviſibilis conjuncta formæ panis, & ſanguis conjunctus ſpeciei vini ſunt Sacramentum, ſive ſacrum ſignum Corporis Domini quatenus erat viſibile, & cruci affixum pro remiſſione peccatorum. Id docet diſertè Auguſtinus in Sententiis apud Proſperum: *Caro ejus quam formâ panis opertam in Sacramento panis accipimus, & ſanguis ejus quem ſub vini ſpecie &*

Aug. in Sent. apud Proſp.

ſapore potamus: Caro videlicet carnis, & ſanguis eſt Sacramentum ſanguinis: Carne, & ſanguine, utroque inviſibili, intelligibili, ſpirituali ſignificatur viſibile Domini noſtri Ieſu Chriſti Corpus, palpabile, plenum gratiâ omnium virtutum, & divina majeſtate. Inſignis hic locus vulgo non intelligitur. Putant enim cum Gloſſa Decreti ab Auguſtino ſignificari corporis Chriſti viſibiles ſpecies panis & vini eſſe Sacramentum. Ille verò docet carnem ipſam inviſibilem, quatenus eſt operta formâ panis, eſſe Sacramentum corporis viſibilis.

Aug. docet carnē inviſibilē Chriſti opertam formâ panis, eſſe Sacramētum corporis viſibilis.

Quod pertinet ad auctoris iſtius mentem, & cœterorum Africanorum, Tertulliani, Fulgentij & Facundi Hermianenſis exactè percipiendam. Illi etenim ſic exiſtimarunt, promiſſam à Domino carnem apud Joannem, in pane Euchariſtiæ revera exhibitam; ſed prætetera adjunctum huic myſterio carnis communicandæ, aliud myſterium ſignificandi corporis Chriſti mortui in cruce. Itaque non dubitant illi formulam iſtam, *Hoc eſt Corpus meum*, ſic explicare, Hoc eſt ſignum ſive figura corporis mei: quoniam ſcilicet formula illa duo ſimul complectitur myſteria, quorum primo fit gradus ad ſecundi cognitionem. Panis enim Euchariſticus, & ſpeciem panis continet, & veritatem carnis ſpiritalis ex pollicitatione facta apud Joannem: Et rurſus totum illud complexum ex pane & carne ſpiritali, eſt Sacramentum carnis vi-

Mens Africanorū Patrū explicatur.

ſibilis & cruci affixæ, ex Domini inſtituto, qui juſſit ut iſta in ipſius memoriam, id eſt interprete Paulo, ad mortem ipſius annunciandam agerentur.

Quare non eſt quod aliquis ſibi perſuadeat, veteres Africanos ob ſuperiorem formulæ explicationem, exiſtimaſſe, ſolam fuiſſe in Euchariſtia figuram corporis: cùm figuram illam non aliunde componant, quàm ex carne inviſibili Chriſti, & ſpeciebus viſibilibus, ut dictum eſt. Auguſtinus ipſe in Tractatu 27. ad cap. 6. Joannis, ait in Sacramentis edi carnem; ita tamen ut etſi Sacramenta comedantur, gratia morſibus non conſumatur. Per gratiam intelligit carnem Chriſti ſpiritalem & intelligibilem, prout eſt in myſteriis. Idem l. 2. contra adverſar. legis c. 9. *Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum carnem ſuam nobis manducandam, bibendúmque ſanguinem dantem fideli corde & ore ſuſcipimus.* Eadem ergo caro corde & ore ſuſcipitur, quod fieri non poteſt, niſi prout eſt operta formâ panis, ut loquitur Proſper, & conjuncta Sacramento. *Quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in veritate ſpiritaliter manducatur*, inquit idem in Serm. 3. de verbis Apoſtoli.

Auguſt. in Tract. 27. ad cap. 6. Ioan.

Idem l. 2. contra adverſar. legis c. 9.

In Serm. 3. de verbis Apoſt.

Itaque quando profertur locus Auguſtini adverſus Adimantum Manichæum, *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc eſt Corpus meum, cùm daret ſignum Corporis ſui, non eſt quod tergiverſemur;* Fatendum, ab Auguſtino ſic explicatam formu-

136

lam, ut per vocem *Corpus* ſignificaretur Corpus Chriſti viſibile mox tradendum cruci: eóque ſenſu acceptâ dictione ſignificari eâ formulâ, panem eſſe ſignum illius Corporis, non autem illud Corpus. Sed fateri quoque debent adverſarij, ut anteà monui ex Proſpero, Formam panis non eſſe Sacramentum Corporis viſibilis, niſi quatenus eſt conjuncta carni ſpiritali & inviſibili, quæ promiſſa fuit à Chriſto apud Joannem.

Duplex ergo agnita fuit ab Africanis formulæ explicatio, Altera, quæ recepta erat ab Eccleſia univerſa, nempe hunc panem conſecratum eſſe Corpus ſpiritale & divinum, ſive carnem inviſibilem promiſſam à Chriſto apud Joannem, Quando panis prece myſtica fiebat Corpus Chriſti, operante inviſibiliter Spiritu Dei; cùm hæc omnia quæ per corporales motus, in illo opere fiunt, Deus operetur. ut inquit Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 4. Altera, quæ oriebatur ex prima, ſcilicet, panem conſecratum, prout ex ſpecie, & carne inviſibili conſtabat, eſſe ſignum, Sacramentum, vel figuram corporis viſibilis.

Duplex formulæ explicatio à Patrib. Africanis cognita.

Hinc petenda eſt vera interpretatio Tertulliani lib. 4. contra Marcion. *Acceptum panem & diſtributum Diſcipulis Corpus ſuum illum fecit hoc eſt Corpus meum dicendo, id eſt figura Corporis mei.* Diſputat eo in loco adverſus Marcionem, qui negabat eumdem eſſe Deum veteris Teſtamen-

Vera Tertulliani interpretatio.

ti, & novi. Prætereà verò, Chriſtum corpus verum geſſiſſe. Utramque blaſphemiam refutat, hoc argumento, quòd ea quæ deſignata fuerant in veteri fœdere, impleta ſint in novo. Inter cætera quæ adducit hujus veritatis exempla, non omittit, Panis nomine apud Hieremiam, ſignificatum fuiſſe Corpus Chriſti, quod ligno crucis figendum erat. *Mittamus lignum in panem ejus*, id eſt interprete Tertulliano, *crucem in corpus ejus*. Cujus rei quoque figuram ſive Sacramentum ait eſſe in Euchariſtia, quæ eſt figura corporis illius cruci affixi. Cæterùm quia id fieri non poterat, quin pani quoque veritas Corporis inviſibilis adeſſet, & eo pacto panis fieret Corpus Chriſti, rectè ante ſecundam formulæ divinæ interpretationem, primam poſuit Chriſtus ſcilicet, panem Corpus ſuum fecit dicendo, Hoc eſt Corpus meum; *fecit illum corpus ſuum*, quo poſito panis fuit figura Corporis viſibilis & veri. Hic eſt germanus ſenſus verborum quæ ſequuntur apud Tertullianum: *Non enim figura Corporis eſſet, niſi veritatis eſſet corpus*: ut quidem legitur in editione Pariſienſi, ex veteri codice Agobardi; id eſt Euchariſtiam non fore figuram corporis viſibilis, niſi facta fuiſſet verè Corpus Chriſti per verba illa, *Hoc eſt Corpus meum*. Ex alia hujus loci vulgata lectione ubi mutantur tempora, *figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet Corpus*, rectè concludit Bellarminus, & poſt eum robuſtiùs Cardinalis Perronius peri-

copen iſtam, *id eſt figura corporis mei*, referendam eſſe ad explicationem vocis *Hoc*, quo panis deſignatur qui fuerat figura corporis apud Hieremiam.

Quare ut hunc locum concludam. Non ſolùm in Euchariſtia habemus verum Chriſti corpus, inviſibili modo, ſed etiam ejus viſibilis & mortui ſimilitudinem, imaginem, figuram, ſignum & Sacramentum, ut loquuntur Ambroſius, Auguſtinus, & veteres reliqui Patres.

In Euchariſtia eſt verum Chriſti corpus inviſibili modo, & corporis viſibilis & mortui ſimilitudo.

Supereſt tamen non ignobilis quæſtio, quo modo fieri putarent è pane Corpus Chriſti. Ac primò quidem patet; id factum intellexiſſe, virtute divinâ, qua ſenſibiles creaturæ naturas ſuas mutant, & fiunt Corpus Chriſti. Mutationis illius prolata ſunt diſerta teſtimonia. Secundò conſtat antiquos exiſtimaſſe panem conſecratum eſſe Corpus Chriſti, ita ut corpus ejus inviſibile & ſpiritale myſteriis eſſet immiſtum: quod jam adnotatum eſt. Tertiò quidquid reſiduum erat ex natura panis mutatum quoque in Corpus Chriſti: adeo ut in ſeceſſum non abiret. Audi Chryſoſtomum homil. de Euchar. in Encæniis: *Num vides panem, num vinum? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? Abſit. Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita illi aſſimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit: ſic & hic*, puta, myſteria *conſumi corporis ſubſtania.* Qui locus ſingularis docet non ſolùm cum Tractatoribus cœteris ſubſtantiam & naturam panis mutatam; adeò ut

Triplex modus apud antiquos Patres, quo panis fit corpus Chriſti.

ampliùs non ſit panis, ut loquuntur Juſtinus, Cyrillus, & Ambroſius. Sed ut ſpecies quoque ſenſibiles conſumantur corporis ſubſtantiâ. Quoniam totum illud tranſit in corpus Chriſti. Quod idem eſt, ac ſi diceret, eo modo immiſceri corpus ſpiritale ſpeciebus panis ac vini, quo ſubſtantia panis illis conjuncta erat ante conſecrationem. Ac proinde panem ac vinum conſecratum quoad elementum externum, eſſe atque dici Corpus Chriſti, quoniam ad illud pertinent, ejúſque portio & acceſſio facta ſunt velut unius integri compoſiti, quemadmodum cera igni adhibita, tota in ignem redigitur, ut ait Chryſoſtomus. Hinc factum, ut quia ſpecies illæ externæ ad corpus ipſum Chriſti pertinent, dicatur à Juſtino & Irenæo corpora fidelium ali & nutriri, corpore Chriſti. Quod enim obſervant Bellarminus, & Perronius ea ſic dici ab Irenæo, ut intelligat ſpecierum ſuſceptione imprimi vim quamdam corporibus ad reſurrectionem; Hoc quidem in ſententia Irenæi verum eſt, ſed alienum eſt à modo loquendi, & interpretandi quo ille utitur: qui exiſtimat complexum illud eſſe verum Corpus Chriſti.

Deinde Chryſoſtomus aliquot in locis, ait Corpus Chriſti quod eſt in cœlo hominum manibus tractari, imò vero frangi, eíque dentes infigi. Superiore autem teſtimonio, ait nihil panis aut vini conſecrati abire in ſeceſſum, ídque blaſphemum putat.

Ex

Ex eo quoque factum, ut apud veteres nihil frequentiùs occurrat, quàm panem conſecratum eſſe Corpus Chriſti per mutationem, & converſionem panis in corpus. Sed nulla apud illos diſputatio reperitur, de accidentibus an ſubſiſtant ſine ſubjecto: quoniam definitione illâ ex pane fieri Corpus Chriſti, defunctos ſe putabant omni ſcrupuloſiori diſquiſitione de accidentium ſubſiſtentia: quia totum illud complexum ad Corpus Chriſti pertinere exiſtimabant.

Non diffitebantur quidem, quin ſupereſſet ſapor in ſpeciebus, quin forma panis, quin res ſenſibiles, & elementa non ſolùm viderentur, ut eorum verbis utar, & vera eſſet earum rerum natura, ſed ut adjunctam carni inviſibili contemplabantur. Auguſtinus apud Proſperum accuratè loquitur de hoc myſterio, quod duobus conſtare aſſerit viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini carne, ſicut Chriſti perſona conſtat Deo, & homine: *Quia*, inquit, *omnis res illarum rerum naturam & veritatem continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem ſacrificium Eccleſiæ Sacramento, & re Sacramenti; id eſt corpore Chriſti. Eſt igitur Sacramentum, & res Sacramenti, id eſt Corpus Chriſti.* Quibus verbis hujus myſterij arcana recludit. Elementorum ſpecies docet eſſe Sacramentum, & rem illius Sacramenti eſſe Corpus Chriſti. Duo autem illa eſſe diſtinctas ab invicem naturas; ita ut corporis inviſibilis natura differat, à natura elementi viſibilis, quam

Auguſt. apud Proſp.

alibi formam panis vocat. Quæ duo tamen Sacramentum nempe, & res Sacramenti ſint Corpus Chriſti, ob conjunctionem ſigni viſibilis cum carne inviſibili: conjunctionem ſcilicet naturalem, non ſolùm illam quæ fit intellectu ſigni cum re ſignificata.

Attamen ſeriò animadvertendum eſt differre inter ſe hos loquendi modos apud Auguſtinum *Panis conſecratus eſt Corpus Chriſti.* His quippe verbis ſignificatur Sacramentum cum re Sacramenti, id eſt ipſum Corpus Chriſti verum & naturale, ut in lib. de Trinitate. Et apud Bedam deſcriptos. Alia eſt ratio hujus locutionis *Sacramentum corporis eſt corpus*, ut in ep. 23. ad Bonifacium. tunc enim diſtinguitur Sacramentum, id eſt ſpecies viſibilis, atque adeò non eſt ipſum corpus, niſi quodam modo. Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum non haberent quarum Sacramenta ſunt, Sacramenta non eſſent: Ex hac autem ſimilitudine plerumque ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundum quemdam modum Sacramentum corporis Chriſti Corpus eſt: ita Sacramentum fidei fides eſt.

Unde idem Auguſtinus in lib. 3. de Trinitate c. 4. *Corpus & ſanguinem dicimus illud quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſticâ conſecratum ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ Paſſionis.*

Idem apud Bedam: *quod videtur panis eſt &*

139

Calix quod etiam oculi renuntiant. Quod autem fides poſtulat inſtruenda panis eſt Corpus Chriſti, Calix, Sanguis.

Hæc Auguſtini doctrina & Eccleſiæ univerſæ illuſtrari poteſt egregio teſtimonio Ephræmij Patriarchæ Antiocheni in Bibliotheca Photij. Diſputans adverſus Neſtorianos, & Eutychianos docet duas in Chriſto fuiſſe naturas, hanc viſibilem & tractabilem, illam inviſibilem & quæ tangi non poſſit. Quemadmodum in myſterio quoque baptiſmi aliud eſt, quod videtur, aquæ elementum, & aliud, quod non videtur, gratiæ regenerationis donum. Ubi obſervandum eſt non conferri ab Ephræmio conjunctionis modum, qui eſt hypoſtaticus in Incarnatione; & moralis tantùm inter gratiam baptiſmi, & elementum aquæ: ſed componi ad invicem, duas naturas ex quibus myſteria conſtant, quarum una videtur & tangitur, altera non videtur. Sic quoque, inquit Ephræmius, duarum naturarum in Chriſto alia eſt viſibilis, altera inviſibilis, *Quemadmodum* quod à fidelibus ſumitur Corpus Chriſti, & à ſenſibili eſſentia non recedit, & ab intelligibili gratia manet indiviſum. Sanè ſpecierum panis & vini ſenſibilis eſt eſſentia, & alterius omninò naturæ à gratia, ſive à carne intelligibili: Unum tamen ex illis efficitur Corpus Chriſti: ipſáque ſenſibilis natura eam appellationem ſuſcipit, ut docet ipſemet Ephræmius, qui carnem inviſibilem & intelligibilem τὸ νοητὸν, ut

loquitur Chryſoſtomus, vocat gratiam, ut apud Auguſtinum tractatu in Joannem jam citato, & illo in loco quem citat Beda: *Nec quando manducamus Chriſtum partes de illo facimus. Et quidem in Sacramento ſic fit, & norunt fideles quemadmodum manducent carnem Chriſti. Vnuſquiſque accipit partem ſuam: unde ipſa gratia, partes vocantur. Per partes manducatur, & manet integer totus, per partes manducatur in Sacramento; & manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo.* Significat Sacramenti diſtributi fragmenta vocari partes, & ſic gratiam, ſive carnem Chrſti vocari partem, quia ineſt unicuique parti.

Auguſt. in Joan.

Gelaſij Papæ locus in lib. de duabus naturis ex iſto Ephræmij, & ex altero Auguſtini apud Proſperum lucem accipiet. Contendit ille adverſus Neſtorianos & Eutychianos, integrum & unum Chriſtum ex duabus ſubſtantiis & naturis conſtare. Mox ait: *Certè Sacramentà quæ ſumimus corporis & ſanguinis Chriſti, divina res eſt, propter quod & per eadem divinæ conſortes efficimur naturæ, & tamen non deſinit eſſe ſubſtantia vel natura panis & vini: Et certè imago & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter oſtenditur, hoc nobis in ipſo Chriſto Domino ſentiendum quod in ejus imagine profitemur, celebramus, & ſumimus: ut ſicut in hanc, ſcilicet in divinam tranſeant, ſancto Spiritu perficiente ſubſtantiam, permanente tamen in ſuæ proprietate naturæ. Sic illud ipſum*

myſterium principale, cujus nobis efficientiam virtutémque efficaciter repræſentant, ex quibus conſtat propriè permanentibus, unum Chriſtum, quia integrum verúmque permanere demonſtrant.

Didicimus ex Auguſtino compoſita, earum rerum naturam continere ex quibus conſtant, Chriſtum ſcilicet, Dei, & hominis: Et ſacrificium Eccleſiæ, viſibilis Sacramenti, & corporis Chriſti. Ephræmius quoque nobis auctor fuit in corpore Chriſti ſenſibilem eſſentiam permanere, & indiviſam ab illa manere intelligibilem gratiam. Quæ teſtimonia in eo tantùm componunt Euchariſtiæ myſterium cum Incarnatione, quòd duæ ſint naturæ & eſſentiæ in utroque myſterio, ex quibus unum aliquod integrum conficiatur. Non autem quòd duæ illæ naturæ ad invicem comparatæ eodem modo ſe habeant. Quantùm enim intereſt inter panis ſpeciem in Sacramento, & naturam humanam in Incarnatione! Conveniunt tamen, quod ſufficit ad inſtitutum, in eo quod ſpecies panis eſt eſſentia & natura diſtincta, à corpore Chriſti ſibi adjuncto: licet ratio Euchariſtiæ id exigat, ut ſubſtantia panis interior converſa fuerit in illud corpus modo quodam qui omnem cogitationem exſuperat. Cœterùm mutatio illa non officit quin panis, qui videtur, id eſt accidentia, ſuam naturam, extantiam, & eſſentiam retineant, & naturæ veræ proprietates, inter quas eſt alendi corporis humani facultas, quæ cùm ſparſa eſſet & diſſipata

per totam panis maſſam antè conſecrationem: quæ ex illo pane ſubſtantia vertitur in corpus, non adimit in reſiduis ſpeciebus, proprietatem illam. Unde conſequitur rectè obſervatum à Gelaſio, Sacramenta corporis & ſanguinis Chriſti, divinam rem eſſe, quia panis & vinum in divinam tranſeunt ſubſtantiam ſancto Spiritu perficiente, nempe in Corpus Chriſti ſpiritale: ſed alia ex parte non deſinere ſubſtantiam & naturam panis & vini, ſed ea permanere in ſuæ proprietate naturæ. Quoniam ſcilicet, poſtquam panis in divinam ſubſtantiam tranſivit, in ſuæ proprietate naturæ permanſit ad alendum corpus idonea, quod eſt præcipuum confecti panis munus.

Porrò quod ait Gelaſius in myſteriorum actione imaginem & ſimilitudinem Corporis Chriſti celebrari, intelligit cum cœteris, Corporis Chriſti mortui & crucifixi imaginem exhiberi, ut ſuperiùs explicatum eſt. Interim adnotandum eſt, Gelaſium monere, Sacramenta veraciter, repræſentare efficientiam virtutémque myſterij principalis, quod eſt incarnatio Chriſti: quoniam, vivificæ carnis Verbo unitæ, nos participes reddunt; *& divinæ conſortes naturæ nos efficiunt*, ut ipſius verbis utar.

THEODORETI SENTENTIA
DE
SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

EXPLICANDA nobis eſt accuratè Theodoreti ſententia, qui licet in unam cum cœteris conſpiret dogmatis veritatem, diverſo tamen tradendi modo, eam illuſtrare conatus eſt: occaſione hinc arreptâ evertendæ Eutychetis inſaniæ, quam tribus Dialogis graviter exagitat.

Docebant illi, ut compendio aniles illas fabulas complectar, duas in Chriſto naturas ante unionem: quâ definitione ſe alienos ab hæreſibus jam damnatis, Marcionis, Valentini, Manichæi, & Apollinaris eſſe putabant. Sed ſtatim poſt ſummam unionem, quam factam dicebant in conceptione, humanitatem abſorptam fuiſſe à divinitate, ne duo eſſent filij, ſi duæ eſſent naturæ. Attamen ut ſalutis noſtræ conſilium peragi poſſet, naturam divinam ſubiiſſe corpo-

ris figuram, labores, perpeſſiones, ipſámque mortem οἰκονομικῶς; ita ut videretur eſſe humana natura, quæ revera & Θεολογικῶς erat divina. Cæterum poſt Reſurrectionem, vel ad ſummum poſt Aſcenſionem non ſolùm abſorptam fuiſſe penitùs naturam humanam à divinâ, ſed iſtam etiam circumſcriptione omni corporis humani ita caruiſſe, & inconſpicuam fuiſſe.

Contrarium evincit Theodoretus Dialogo 1. & 2. variis ex ſcriptura petitis argumentis: atque etiam ex ipſis divinis myſteriis; ut probet etiam hodie Chriſtum veri corporis naturam poſſidere. Cujus ut vim capiamus, neceſſe eſt ex principiis à Theodoreto poſitis, rem totam expendere.

Attamen in anteceſſum obſervare oportet, totum negotium cum arte quadam ab eo patefactum, ne myſteria prodere videretur non initiatis; quod unum ſummè cavebant veteres, ut viri eruditi docuerunt ex Chryſoſtomo, Auguſtino, & ex ipſo Theodoreto, qui ob eam rationem ſe per ambages myſticè, & ænigmaticè locuturum profitetur.

Ut ut ſit, quinque capita apud illum ſunt certiſſima. Primum eſt, in hoc myſterio diſtingui ſymbola, & ſigna myſtica panis & vini, à corpore Chriſti: eáque eſſe hujus figuram & imaginem. Secundum eſt, partem alteram hujus myſterij eſſe ipſum Corpus Chriſti verum, quod veritas & gratia, divinum ac vivificum Corpus Domini

142

Domini dicitur. Tertium eſt, rerum appellationes in hoc myſterio permutari, ita ut ſacra ſymbola poſt ſanctificationem ex invocatione Sacerdotis factam corporis & ſanguinis Domini nomina ſuſcipiant: Corpus autem Domini panis dicatur. Quartum eſt, mutationem fieri in hoc myſterio, quando gratia accedit ad ſymbolorum naturam.

Quintum eſt, totum iſtud ſacrum myſterium & peragi, & ſignificari his verbis, *Hoc eſt Corpus meum*; Et *Hic eſt Sanguis meus.* Adeò ut mutatio fiat in ſymbolis ex gratiæ adventu; & ſymbola à ſua viſibili natura non recedant, ſíntque figura corporis Chriſti.

Hæc ultima pars definitionis, quòd ſymbola non recedant à ſua natura, ſíntque figura tantùm corporis Chriſti, quàm longiſſimè abeſt à modo loquendi Cyrilli utriuſque, Gregorij Nyſſeni, Chryſoſtomi apud Græcos, & Ambroſij, apud Latinos: qui, ut ſuperiùs monuimus, diſertè docent, ipſa quoque Sacramenta ſive ſymbola dici, & eſſe Corpus Chriſti: eorúmque mutationem integrè fieri, adeò ut quæ priùs erant accidentia panis, nunc ſint pars quædam, & acceſſio corporis Chriſti, eâque ratione ipſam naturam mutaſſe dicenda ſint.

Iſte modus explicandi diſplicuit Theodoreto, qui ex comparatione hujus myſterij cum Incarnatione, argumenta ab Eutychianis trahi perſpiciens, ad probandam naturæ humanæ in di-

vinam converſionem, novam apud Græcos interpretandi viam aggreſſus eſt, licèt jam detritam ab Auguſtino in Occidente. Quare docuit, mutationem quidem in ſymbolis credendam fieri ex Gratia: ita tamen ut ſigna quæ videntur, à ſua natura non recedant: quod Eutychianorum cauſam labefactabat.

Symbolis autem quæ accidit mutationem, ex nominum permutatione probat: quod apud illum eſt naturæ mutatæ plenum argumentum. Dixerat enim ſuperiùs ex appellatonis cujuſque rei mutatione, naturæ quoque mutationem colligi. *Si ergo*, inquit, *Deum Verbum mutationem in carnem ſuſtinuiſſe dicitis, cur nam ipſum, Deum & non carnem appellatis? Naturæ enim mutationi convenit appellationis mutatio.* Quemadmodum, ut explicat ille, arena igne liquefacta concreſcit in vitrum, lapis reſolvitur in calcem, & vinum degenerat in acetum, mutatis naturis novâ accedente appellatione. Quare cùm ſymbola ſanctificata corporis & ſanguinis Domini appellatione honeſtata ſint, credendum eſt, inquit, ex gratia mutationem ſuſcepiſſe. Hæc porrò mutatio non eſt alia, quam ipſa quæ initiatis tradebatur, ſcilicet virtute divinâ ex pane fieri corpus, ipſámque ſubſtantiam panis mutari in Corpus Chriſti, quæ eſt gratia, de qua loquitur Theodoretus: Sacramenta in divinam tranſire ſubſtantiam, ut dicebat Gelaſius.

Hanc mutationem ſignificat, quæ ex tradi-

tione interpretationis recepta erat in Eccleſia, ut fidei dogma. Cæterùm noluit admittere mutationem ullam in natura conſpicua & viſibili ſymbolorum: quod ad modum tradendi, qui varius eſſe poteſt, potiùs quàm ad fidei decretum pertinere putabat.

Hæc omnia perſpicua erant, ſi veſtigia Theodoreti proſequamur. Contendit Orthodoxus cum Eraniſta Dialogo 1. Deum, qui ex natura ſua videri non poterat, carnem aſſumpſiſſe, ut videri poſſet; uſúmque fuiſſe vivo & vero quodam, veluti velo, carnis integumento. Exhorruit Eraniſta novitatem verbi, quæſivítque ecqua in parte ſcripturæ caro Domini, velum appellaretur. Objurgatâ illius ignorantiâ docet Orthodoxus carnem Chriſti *velamen* appellari in epiſtola ad Hebræos: *veſtem* quoque, & *indumentum* dici docet in Geneſi his verbis: *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ indumentum ſuum.* Quæ ad Chriſti corpus pertinere maniſeſtè docet, quod in cruce ſuo ipſius ſanguine irrigatum fuit. Qui quidem ſanguis Domini eo loco dicitur ſanguis uvæ, id eſt vinum. Porrò ſanguis Domini rectè dici vinum, ſive ſanguinem uvæ probat, quia ipſe vitem ſe eſſe dixit: Unde concludit: *Sicut enim nos myſticum vitis fructum poſt ſanctificationem, Domini ſanguinem nominamus, ita veræ vitis ſanguinem, uvæ ſanguinem nominavit.* Quæ Theodoreti comparatio futilis erit & inepta, niſi ponamus, verum Chri-

ſti ſanguinem eſſe in myſteriis : licèt ex illius mente, Sacramentum, ſanguis dicatur, quia figura eſt veri ſanguinis : ea tamen eſt iſtius figuræ ratio, ut adjunctam habeat veritatem & gratiam, ut poſtea patebit, ſed noluit apertè pandere totius myſterij veritatem, etſi eâ ſit uſus, ut ſtatim rectè monuit ſub nomine Eraniſtæ: *Myſticè ſimul, & dilucidè, quod propoſitum fuerat, oſtenſum eſt.*

Pergit in eadem materia Orthodoxus, docétque conſentiente Eraniſta, Chriſtum corpori ſuo panis nomen dediſſe, imò verò & tritici nomine carnem ſuam ſignificaſſe Joannis 12. Mox addit : *In myſteriorum autem traditione corpus, panem appellavit, & ſanguinem, id quod in Calice infuſum, & commixtum eſt.* Eran. *Ita nominavit.* Orthod. *Atqui & quod eſt ſecundum naturam corpus, corpus jure vocabitur, & itidem ſanguis.* Eran. *In confeſſo eſt.* Quorum verborum hæc eſt ſententia, pani collatum corporis nomen, & vino mixto, ſanguinis, in Sacramento Euchariſtiæ. Verum quoque Domini corpus, & ſanguinem, rectè dici corpus & ſanguinem. Ex quo concludit Orthodoxus, permutata fuiſſe rerum nomina à Chriſto, qui corpori quidem vero, Sacramenti nomen dedit, nempè panis : & Sacramento vice versâ impoſuit nomen corporis. Eodem modo cùm ſe vitem nominaviſſet, ſymbolo vini nomen ſanguinis dediſſe. Orth. *Servator quidem certè noſter nomina commutavit, & corpori quidem*

id quod erat ſymboli ac ſigni nomen impoſuit: Symbolo autem, quod erat corporis. Ita cùm ſe vitem nominaviſſet, ſanguinem id quod erat ſymbolum appellavit.

Eraniſta conſentiens, ſciſcitatur cauſam iſtius mutationis nominum. Cui ſatisfaciens Orthodoxus præmittit cautionem conſuetam, hæc nota eſſe initiatis; ne ſcilicet Eraniſta expectaret diſertiſſimam explicationem quamvis veram. Orthod. *Manifeſtum eſt inſtitutum iis qui ſunt divinis myſteriis initiati. Volebat enim eos qui ſunt divinorum myſteriorum participes, non attendere naturam eorum quæ videntur; ſed propter nominum permutationem, mutationi, quæ fit ex gratia, credere. Qui enim quod natura corpus eſt triticum & panem appellavit, & vitem rurſus ſeipſum nominavit, is ſymbola & ſigna quæ videntur, appellatione corporis & ſanguinis honoravit, non naturam quidem mutans, ſed naturæ gratiam adjiciens.* Reſpondet Eraniſta: *Et myſticè myſtica dicta ſunt, & apertè declarata quæ non ſunt nota omnibus.*

Ex reſponſione patet, inſignem alioqui locum, rei quidem veritatem explanaſſe, ſed myſticè, & obſcuris verbis: adeóque novo, & non cognito omnibus modo illam aperuiſſe. Quare laborandum eſt tantiſper, ut mens auctoris detegatur, ad quam nos manu ducet fides, qua myſteriis ſumus initiati. Manifeſtè quidem docet gratiam adjunctam eſſe ſymbolis: atque adeò totum myſterium conſtare ex gratia, & ſymbo-

lis myſticis; id eſt elementis viſibilibus panis & vini, & carne & ſanguine Chriſti inviſibili & immortali, ut loquitur Auguſtinus; ex re ſenſibili, & ex intelligibili, ſeu corpore Chriſti, ſecundum Chryſoſtomum; ex Eulogia, & carne vivifica juxta Cyrillum Alexandrinum. Sed gratiæ nomine ſignificat myſticè corpus Chriſti: quâ voce oſtendimus ſuperiùs ex Auguſtino & Ephremio Antiocheno, ipſum corpus Chriſti inviſibile deſignari. Quoniam veritas cujuſque Sacramenti habet ſuam gratiam. Baptiſmus gratiam regenerationis; Sacramentum verò corporis Chriſti, habet ipſum corpus immortale Chriſti pro gratia ſibi conjuncta. Hæc mihi videtur afferri poſſe ratio, cur gratia myſticè ſignificet non Chriſtum ipſum, ſed corpus Chriſti. Quod enim quidam èxiſtimant gratiam hîc ſumi pro Chriſto, qui eſt gratia per eſſentiam, non ſatis accuratè expendiſſe videntur, hîc agi principaliter de Chriſti corpore, quod eſt veritas & gratia Sacramenti, deinde ex conſequentia de Chriſto Domino, cujus hoc eſt corpus.

Cœterùm quo pacto gratia illa accedat ad ſymbola, Theodoretus ſignificat; nempe per mutationem, quæ fit in ſymbolis ex gratia, id eſt ob adjectionem gratiæ. Corporis quippè ſubſtantiâ, myſteria conſumuntur, ut docuit Chryſoſtomus: quando, ut cum Juſtino loquamur, ex prece ab ipſo verbo profecta, panis fit carò Chriſti. Myſticè verò de hac quoque mutatione

145

locutus eſt, quam univerſa tamen profitebatur Eccleſia.

Quoniam verò incurioſiùs videbantur locuti plerique veterum, qui conſtitutâ ſemel hâc mutatione panis, nihil naturæ panis permanere docebant, aut docere videbantur; Theodoretus audacter ait & verè, ſymbola poſt ſanctificationem eam naturam ſervare quæ videtur: licèt appellatione corporis & ſanguinis decorata fuerint.

Itaque ex mente hujus auctoris, verbis operatoriis Chriſti quibus Sacramenta conficiuntur, mutatio fit in ſymbolis; ex qua ſequitur præſentia gratiæ ſymbolis adjunctæ, ſive corporis ipſius & ſanguinis Domini: Et præterea ſymbola viſibilia quæ permanent in ſua natura corporis & ſanguinis appellationem ſortiuntur, fiúntque Sacramentum ſive figura naturalis corporis & ſanguinis.

Ex mente Theodor. mutatio fit in ſymbolis ex qua præſentia corporis & ſanguinis Chriſti ſequitur.

Quæri poteſt, quomodo mutentur ſymbola, & tamen in ſua natura permaneant? Mutantur quoad ſubſtantiam inconſpicuam in corpus Chriſti inviſibile; ſic tamen ut ſubſtantia illa inconſpicua non deſinat eſſe, ſed attrahatur à corpore Chriſti: At verò quoad naturam conſpicuam quæ videtur & tangitur, non mutantur. Si cui non placet hic loquendi modus, Ariſtotelis verba adhibebimus. Materia & forma panis, quæ ex ſe res eſt inviſibilis, & inſenſibilis, ſecreta à quantitate non perit, ſed tranſit in corpus Chri-

ſti: Remanet autem corpus ex quantitate & cœteris accidentibus conflatum, in quo proprietates prioris compoſiti reſiduæ ſunt; ita ut & nutriat, & per ſe ſubſiſtat ex vi ſubſiſtentiæ partialis, quæ competebat quantitati, etiam quando conjuncta erat cum ſubſtantia. Quod quidem corpus à ſua natura viſibili non recedit, ut in corporis Chriſti naturam tranſeat, licèt illius nomine ornetur.

His jactis fundamentis, ulteriùs progreditur, ut doctrinam Euchariſtiæ illuſtret; & ſuum inde adverſus Eutychianos argumentum conficiat. Pergit itaque Orthodoxus, & petit ab Eraniſta, cujus figuram & ſymbolum eſſe putet alimentum ſanctiſſimum, divinitatis, an corporis Chriſti, & ſanguinis. Reſpondet iſte, ejus eſſe ſymbolum, cujus appellationem ſuſcepit, nempè corporis & ſanguinis. Subjungit autem Orthodoxus: *Vt decet amicum veritatis dixiſti. Etenim Dominus cùm accepiſſet ſymbolum, ſeu ſignum, non dixit; Hoc eſt deitas mea, ſed, Hoc eſt corpus meum; & rurſus, Hic eſt ſanguis meus. & alibi: Panis quem ego dabo, caro mea eſt quam ego dabo pro mundi vita.*

Fruſtrà ſe hoc loco tuentur Calviniani, ac ſi doceret Theodoretus formulæ divinæ non aliam eſſe vim, quàm ut ſymbola ſanctificata ſint tantùm figura corporis & ſanguinis, quaſi ſcilicet hoc arcanum tanta cura recondendum eſſet, ne pateret non initiatis. Vera mens auctoris hæc eſt,

146

eſt, verbis formulæ confici Sacramentum, quibus & corporis ac ſanguinis inviſibilis gratia ſiſtatur præſens: & ſymbola panis atque vini, munus illius ſignificandi adſciſcant: non autem ſignificandæ divinitatis. Quod autem teſtimonium ex capite ſexto Joannis adjungit, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, eo conſilio facit, ut confirmet formulæ divinæ efficaciâ id agi, ut caro inviſibilis hoc pane ſanctificato contineatur; qui deinde unà cum illa carne ſit figura illius carnis, ut notabitur inferiùs. In quo illi partim convenit cum Tertulliano, & Auguſtino; qui duplicem illum formulæ effectum agnoverunt, nempe & ſiſtendæ carnis inviſibilis, & ſignificandi corporis; ſed, ut loquitur Auguſtinus, in quo differt à Theodoreto, viſibilis atque palpabilis corporis: cujus caro illa inviſibilis, cum forma panis, eſt Sacramentum, ſignum & figura: quod ſumptum videtur ex his Ambroſij verbis: *Caro verè carnis eſt Sacramentum.* Theodoretus verò ſimpliciùs agit, & profitetur ſymbola eſſe ſigna corporis ipſius, & ſanguinis inviſibilis, prout conjuncta ſunt cum ſymbolis; quod explicandi genus etiamnum hodie frequentatur in ſchola Theologica: neque ſanè illud negaret Auguſtinus: cujus doctrina non repugnat Theodoreto, ſed uberior eſt in explicando ſignificandi modo: juxta quem panis myſticus eſt Sacramentum veritatis ſuæ, id eſt corporis Chriſti: & præterea prout eſt Sa-

cramẽtum cum veritate conjunctum eſt ſignum, & figura corporis viſibilis & in cruce ſuffixi.

Ex iſtis tandem concludit Orthodoxus, ſi hæc vera ſint, Dominum habuiſſe corpus poſt unionem cum Verbo in myſterio Incarnationis. Quod præfractè negat Eraniſta, ſéque tantùm noſſe, Verbum carnem factum.

Urget iterùm idem genus argumentationis petitum à divinis myſteriis Dialogo 2. Etenim, ut ſatisfaciat Eraniſtæ, qui contendebat corpus Chriſti, non fuiſſe appellatum corpus poſt Aſcenſionem in cœlos: Reſpondet Orthodoxus, ſe quidem probationem illam jam impleviſſe, quoniam docuerat ex Scripturis, Chriſtum in extremo Adventu, quando judicium in homines exerciturus redibit, eodem modo ſe videndum præbiturum, quo in cœlos ſe ſuſtulit: Interim apertis cœlis, viſum à Stephano à dextris Dei, additâ quoque hâc ratione, ut oſtendatur vis argumenti, *quod enim videtur corpus eſt.* Attamen adjungit inſuper locum Pauli in Epiſtola ad Philippenſes, ubi tradit corpus humilitatis noſtræ conforme futurum corpori gloriæ Chriſti. Unde probat poſt aſſumptionem in cœlos corpus Chriſti, dici corpus ab Apoſtolo.

Mox gradum facit ad Euchariſtiam, his verbis: Orth. *Dic ergo myſtica ſymbola, quæ Deo à Dei Sacerdotibus offeruntur, quorumnam dices eſſe ſymbola?* Eran. *Corporis & ſanguinis Domini.* Orth. *Optimè, oportet enim imaginis eſſe exemplar arche-*

typum. Etenim pictores imitantur naturam, & eorum quæ videntur depingunt imagines. Eran. *Verum.* Orth. *Si ergo divina myſteria corpus quod verè eſt, repræſentant: Ergo corpus etiam nunc, Domini quoque corpus eſt, non in naturam divinitatis mutatum, ſed impletum divinâ gloriâ.* Obſervandum eſt, myſtica ſymbola offerri Deo à Dei Sacerdotibus. Porrò certum eſt ex doctrina omnium veterum offerri incruentam carnem vivificam Chriſti, quæ præſens adeſt ſuis ſymbolis. Reliqua verba non indigent explicatione. Superiùs enim oſtendi myſtica ſymbola eſſe imagines corporis & ſanguinis Domini, ita tamen ut gratia inviſibilis carnis ſit illis conjuncta.

Eraniſta hâc argumentatione compulſus, nihil collectioni reſpondet quidem, ſed argumentum Eutychianis familiare petitum ex eadem materia, contorquet adverſus Orthodoxum: ut oſtendat corpus Domini in aliam mutari naturã, in myſterio Incarnationis. Ac primò quidem ſciſcitatur ab Orthodoxo, quid appellet donum quod offertur, ante invocationem Sacerdotis. At ille cautione adhibitâ ſecreti non omninò pandendi reſpondet, *Non oportet apertè dicere; eſt enim veriſimile adeſſe aliquos myſteriis non initiatos.* Er. *Reſpondeatur ænigmaticè.* Conſentiunt myſterij arcana non eſſe ſic patefacienda, ut ejus cognitio ſit aperta non initiatis. Quare in eo explicando ita verſatur, ut involucro aliquo veritatem tegat: Nunc gratiæ nomine corpus inviſibile ſignifi-

cando ; nunc mutationem , quæ in ſymbolis vi formulæ divinæ accidit, profitendo quidem, ſed ejus non aperiendo modum, ut fecit Dialogo 1. Hic ambages in nominibus ſymbolorum ponit, quæ diſertè expoſuerat Dialogo 1. panem ſaltem apertè nominando. Reſpondet itaque Orthodoxus, donum ante invocationem , eſſe illud nutrimentum , quod fit ex hujuſmodi ſeminibus, & commune hoc nomen , quod potus ſpeciem ſignificat,

Pergit Er. *Poſt ſignificationem autem quomodo ea appellas.* Orth. *Corpus Chriſti , & ſanguinem Chriſti.* Er. *Et credis te fieri participem Chriſti corporis & ſanguinis.* Orth. *Ita credo.* Hîc obſervandum eſt , ſymbola ſic eſſe Sacramenta & ſigna , ut ipſius tamen corporis & ſanguinis nos participes efficiant : quod fit in hoc myſterio , naturaliter, reipſa, & non per fidem tantùm, ut univerſa Eccleſia profitebatur teſtibus Cyrillis, Gregorio Nyſſeno , Chryſoſtomo , & omnibus, qui hâc de re verbum fecêre, tractatoribus. Unde conſequitur verum corpus his ſymbolis contineri, licèt ſpiritali, & inviſibili modo.

Ex iſtis colligit Eraniſta : *Sicut ergo ſymbola Domini corporis & ſanguinis alia quidem ſunt ante invocationem Sacerdotis , ſed poſt invocationem mutantur, & alia ſiunt: ita etiam corpus Domini poſt aſſumptionem mutatur in divinam ſubſtantiam.*

Antequam reſponſio Orthodoxi proponatur, repetendum eſt, quod Dialogo primo animad-

Digitized by Google

vertit ſcilicet in ſymbolis fieri mutationem ex gratia, accedente nempè gratiâ ad naturam: Eam tamen mutationem officere omninò cauſæ Eutychianorum: quia ſcilicet conſpicua ſymbolorum natura nullam ſui mutationem patiatur.

Quare Orthodoxus non ſolùm argumentum Eraniſtæ refellit, qui ex mutatione ſymbolorum converſum corpus Domini in divinam ſubſtantiam in Incarnatione argumentabatur: ſed ex eadem comparatione, corpus Domini perſeverare in cœlis demonſtrat. Quoniam myſtica ſymbola poſt Sacerdotis invocationem, *manent in priore ſubſtantiâ, formâ & figurâ; & videri, atque tangi poſſunt, ut priùs*. Monuerat anteà Theodoretus, *quod videtur, corpus eſſe*; & ex Phyſicæ principiis ſciebat, quod ait Lucretius, *tangere, vel tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.*

Quare cùm ſymbola eodem modo videantur, & tangantur, quo ante conſecrationem. quin ſint aliquod Corpus dimenſionibus conſtans negari non poteſt. Non ſolùm autem circumſcriptionem, formam, & figuram in iis agnoſcit, ſed eaſdem ſpecies manentes in priore, ut ait, ſubſtantia: Neque verò hic ſe tricis Logicorum involvit, cùm horum corporum ſenſibilium naturam vocat ſubſtantiam, quod idem eſt ac eſſentia. Sufficit enim ad præſentis controverſiæ cum Eutychianis diſceptationem, qui poſt Aſcenſionem divinam naturam corporis humani circumſcriptionem & figuram deſeruiſſe dicebant, ſi

doceat Orthodoxus priorem formam, & figuram ſymbolorum permanere, ita ut videri atque tangi poſſint, ut priùs.

Sed præterea quoque docet, ut adimat argumentationi vim, quæ ex mutatione per gratiam in ſymbolis facta, cujus hic quoque meminit, conſequi poterat, ſymbolorum priorem quoque ſubſtantiam corpoream ſive naturam perſeverare: quæ quidem ſubſtantia, ut ſuperius monuimus, eſt exterior, conſpicua, ſenſibus noſtris obnoxia, & ſua materia, & forma deſtituta quæ in verum Chriſti corpus tranſmutatæ ſunt.

Quare non eſt neceſſe uti nos eruditiſſimi, & acutiſſimi Cardinalis Perronij obſervatione, quæ ex vi Græcarum dictionum rectè aiebat ſic poſſe reddi Theodoreti locum, ut manere dicerentur ſymbola ſub *prioris ſubſtantiæ figura & forma.* Hæc enim interpretatio imminuere videtur reſponſionis robur: & ut jam dixi, non eſt neceſſaria. Satiùs eſt ergo adhærere vulgatæ verſioni; cujus hæc ſunt verba.

Orth. *Quæ ipſe texuiſti retibus captus es. Neque enim ſigna myſtica poſt ſanctificationem recedunt à ſua natura. Manent enim in priore ſubſtantiâ, & figurâ, & formâ, & videri, & tangi poſſunt ut priùs. Intelliguntur autem ea eſſe quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa ſint quæ creduntur. Confer ergo imaginem cum exemplari & videbis ſimilitudinem. Oportet enim figuram eſſe veritati ſimilem. Illud enim corpus habet priorem quidem*

formam & figuram, & circumſcriptionem; & ut ſemel dicam corporis ſubſtantiam. Immortale autem poſt reſurrectionem factum eſt, & potentius quàm ut ulla in ipſum cadat corruptio & interitus, ſeſſionéque ad dextram dignatum eſt, & ab omni creatura adoratur, ut quod appelletur corpus naturæ Domini.

Ex iſtis verbis & ſuperioribus teſtimoniis patet, quænam fuerit ſententia Theodoreti de tota hujus myſterij veritate. Quemadmodum enim ſuperiùs dixerat, hæc myſtica ſymbola poſt invocationem Sacerdotis, Deo offerri à Dei Sacerdotibus, & mutationem ſubiiſſe ex gratia, quæ accedit ad ſymbola: quæ quidem ita ſunt Sacramenta corporis & ſanguinis Domini, ut ipſius veri corporis & ſanguinis Dominici nos participes efficiant: Sic iiſdem inhærendo veſtigiis, nunc ait hæc ſymbola intelligi eſſe, quæ facta ſunt, & credi, & adorari, ut quæ illa ſint quæ creduntur: id eſt, per mutationem ex gratia ſunt ſymbola carnis inviſibilis præſentis: & ideò adorantur; quoniam nemo carnem illam ſumit, quin priùs illam adoraverit, ut ait Auguſtinus. Quare habemus ex Theodoreto, ſymbolorum conſecrationem miniſterio Sacerdotis, & verbis Chriſti factam, mutationem ſymbolorum ex gratia; præſentiam carnis Chriſti & ſanguinis: Oblationem ſymbolorum ſanctificatorum, quæ Deo fit à Dei Sacerdotibus; ſymbolorum adorationem; Et eorum interventu, participationem corporis & ſanguinis Dominici. *Theodoreti ſententia.*

De integro redit Eraniſta ad congreſſum, & ex mutatione appellationis quæ fit in ſymbolo myſtico, quòd non ampliùs panis, ſed corpus vocatur, colligi poſſe putat, hujus Sacramenti veritatem, Deum dici debere, non autem corpus Chriſti. Eran. *Atqui ſymbolum myſticum priorem mutat appellationem, neque enim ampliùs nominatur, quod priùs vocabatur, ſed corpus appellatur. Oportet ergo etiam veritatem Deum, & non corpus vocari.*

Ubi ſeriò adnotatum eſt, quod alibi dixit, *imaginis archetypum* hic vocare *veritatem*; nempè corpus naturale & immortale Chriſti: quæ fuit Auguſtini quoque phraſis, qui in hoc myſterio Euchariſtiæ duas partes conſtituit, Sacramentum, & rem atque veritatem Sacramenti, ſive gratiam: utramque enim dictionem uſurpat, ut fecit Theodoretus. Rem terrenam, & cœleſtem, ut ait Irenæus. Veteratoriè autem & dolo malo cavillatur Eraniſta cum Orthodoxo; neque enim in hac controverſia comparatio inſtituitur inter Deum, & corpus, ſed inter ſymbola, & eorum veritatem, id eſt verum corpus Chriſti. Quare quod unum colligere poterat Eraniſta ex mutatione appellationis in ſymbolis, hoc erat, ut in veritate Sacramenti, mutatio quoque aliqua fieret, quod attinet ad appellationem. Quod Orthodoxus concedit, & novam corpori vero Chriſti, additam appellationem, in hoc myſterio indicat, nempè dici *panem vitæ*, etiam ab ipſo

Chriſto,

150
Chriſto, in capite ſcilicet ſexto Joannis. Ubi caro Chriſti dicitur *panis vivus*, & panis in Euchariſtia exhibendus, dicitur eſſe *caro*.

Ignorantiæ itaque inſimulat Eraniſtam, quod myſterij hujus arcanum non penetrarit, vel potiùs doli, me judice, quòd illud diſſimulet: factam ſcilicet nominum permutationem, de qua Dialogo primo pluribus egerat, ut pani, corporis Chriſti; Corpori verò, panis nomen inditum fuerit. Unde ſequitur, ut in hoc myſterio veritas Sacramenti, non debeat, corporis nomen deſerendo, Deus vocari, ſed corpus: ſymbola enim non ſunt divinitatis ſigna, ſed corporis, ut fatebatur Eraniſta Dialogo primo. Cœterùm in hac nominum commutatione, meminiſſe oportet ejus effati, quod Theodoretus illo priore Dialogo nos docuit; præter mutationem appellationis in ſymbolis, fieri quoque mutationem ex gratiæ adjectione. At in veritate Sacramenti, cùm ſit corpus divinum Domini noſtri Jeſu Chriſti, in quod poſt reſurrectionem non poteſt ampliùs cadere corruptio, ut ait Theodoretus in priore, in iſta reſponſione, quam expendimus, ſola poteſt eſſe novi nominis appellatio, ut *panis vitæ* dicatur. Enimverò non fruſtrà decoratur hoc nomine, quia reficit animam, & propter adjunctam huic carni divinitatem Verbi, vitam immortalem largitur. Quippè, ut docebat Cyrillus Alexandrinus efficaciam hujus myſterij ediſſerens in Commentariis ſuis ad Joannem, vivificæ

eſt caro latens in his myſteriis, quia eſt conjuncta Verbo, à quo vim illam & poteſtatem ſortitur.

Concludamus ergo hanc diſputationem recitatione verborum, quibus Orthodoxus Eraniſtæ cavillos ſolvit. Orth. *Ignarus mihi eſſe videris, non enim corpus ſolùm, ſed etiam panis vitæ nominatur, ita Dominus ipſe appellavit. Porrò autem ipſum corpus, divinum corpus nominamus, & vivificum, & Dominicum, docentes non eſſe commune alicujus hominis, ſed Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt Deus & homo. Ieſus enim Chriſtus heri & hodie, idem & in ſæcula.*

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

PETRI DE MARCA,

PARISIENSIS ARCHIEPISCOPI,

DE

SACRIFICIO MISSÆ

DISSERTATIO.

CUM tanta ſit támque ſublimis ſempiterni Dei majeſtas, támque immenſa illi beneficia debeat univerſum mortalium genus, quod illius potentiâ ſemel conditum, ejus deinde benignitate & paternâ curâ ſuaviſſimè regitur ac fovetur: additâ quoque ad cumulum, delictorum omnium indulgentiâ, quam ſanguine ſuo in cruce effuſo Chriſtus promeruit Adamo ejúſque poſteris omnibus, qui eam non contempſerint profuturam; Neceſſe fuit, ut grati animi teſtimonium aliquod homines ederent, & ſummum illud nomen, ſummo quoque cultus ge-

Digitized by Google

nere, quod in oculos omnium incurreret, devotè ac ſuppliciter venerarentur.

In eum uſum ante diluvij tempora, ex Adami ipſius inſtituto Abel primitias frugum, & pinguiores è grege victimas Deo adolevit. Hunc morem poſt diluvium conſtanter retinuit Abrahamus, ejúſque ſoboles; donec ſacrificiorum aliquot genera ab ipſo Deo certis legibus, & ceremoniis conſtitutis firmata ſunt, ut populus Judaïcus officium ſuum expleret, potiùs quàm Deus, qui rerum omnium eſt Dominus, armentorum vel gregum mactatione indigeret.

Quod apertè teſtatum reliquêre David, Iſaïas, aliíque Prophetæ, qui rectæ & caſtigatæ mentis, & piorum operum ex legis obſequio profectorum ſacrificiis, non autem animalium profuſo ſanguine, Deo litari docuerunt: adeò ut ſi hæc abeſſet hominum pietas à ſacrificiis externis, ea Dominum planè abominari denunciarint. Quod autem Deo gratum erat & acceptum ſacrificium, laudis, & juſtitiæ, atque cordis contriti eleganter dicitur à Davide, aliíſque Prophetis: utpote quod laudes, & gratiarum actiones Domino referat pro beneficiis acceptis, mentémque puram ab omni ſcelere, confoſſo ac veluti mactato rebellis concupiſcentiæ appetitu, divino numini exhiberet.

Dubitandum quoque non eſt, quin varia illa Moſaïcæ legis ſacrificia inſtituta eſſent, ut ſingulare illud & unicum Chriſti ſacrificium ſignifica-

152

rent, quo corpus ſuum in cruce mactandum, & ſanguinem profundendum præbuit, ut hominibus à ſervitute, & jugo peccati ereptis Patrem placatum redderet: quo unico ſacrificio veterem legem tranſtulit in novam, & ſolâ illâ oblatione in æternum fideles perfecit, ſive conſummavit ſanctificatos, ut loquitur Paulus.

Et ne ſui cultoribus deeſſet ceremonia aliqua externa, quâ ſacrificium mentis internum teſtarentur, ſingulari ſui amoris induſtriâ Chriſtus, cùm in eo eſſet articulo, ut mox neci tradendus eſſet, inſtituit Euchariſtiæ Sacramentum, atque ſacrificium, ut corporis ſui in cruce ſuffigendi, & ſanguinis effundendi memoriam fideles renovare poſſent; ejúſque ſacrificij cruenti fieri participes, per communionem hujus incruenti.

Norunt myſterij initiati, Chriſtum, acceptum panem, & vinum recitatâ illâ ſolenni formulâ, corpus & ſanguinem ſuum feciſſe: addito Apoſtolis mandato, ut in ſui memoriam hæc Sacramenti conſecratio peragеretur.

Hoc eſt novum Chriſtianæ legis externum ſacrificium, ut ſummo conſenſu docent omnes antiqui Patres, nemine dempto, qui hanc eſſe oblationem mundam, quæ toto orbe offerenda erat, à Malachia prænunciatam teſtantur: Hoc eſſe Melchiſedechi ſacrificium, qui panis & vini ſpecies Deo priùs ab ſe oblatas, ut decebat Sacerdotem Altiſſimi ad agendas de Abrahami victoria gratias, ipſi dein atque commilitonibus

edendas bibendáſque præbuit, ut ſacrificij participes omnes faceret. Quamobrem hoc præcipuè nomine Chriſtus dicitur à Davide, *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec;* licèt aliæ hujus quoque Sacerdotij in Chriſto cauſæ non defuerint, quas exequitur Apoſtolus: hâc oblatione conſultò prætermiſsâ; ne ſcilicet ſolidiore cibo rudiores adhuc Hebræos reficeret, ut ipſe monuit initio diſputationis de Melchiſedechi Sacerdotio. Cujus exemplo Chriſtus, pane & vino prolatis in ultima menſa, Deo gratias egit, & primarias illas creaturas in corporis & ſanguinis ſui naturam ſecretâ poteſtate convertit ſic diſtributo in duas partes ſenſibiles Sacramento, ut illa corporis ſeorſim à ſanguine, & iſta ſanguinis à corpore ſeparati, eſſet Sacramentum cum rei veritate conjunctum. Quare frugum illarum ſacrificium à Melchiſedecho ad Dei venerationem adhibitum, typus fuit veri ſacrificij à Chriſto inſtituti, quod ex iiſdem frugibus myſticâ prece in corpus & ſanguinis Chriſti mutatis, conficitur.

Enimvero quoniam ſacrificiis priſtinis cum veteri lege deletis, & Aaronis Sacerdotio penitùs abolito, non eſt arbitrariò de negotio adeò ſeriò diſputandum, ſine ſcripturarum auctoritate: Neceſſe eſt, ut apertè conſtituatur quænam ſit ratio ſacrificij iſtius Euchariſtici; atque eâdem operâ doceatur nullam injuriam fieri ſacrificio Chriſti in cruce cruentè peracto.

Sed in anteceſſum obſervandum eſt, plura

fuiſſe in lege Moſaïca ſacrificiorum genera: ſic ut in his, ſolida & integra victima igne adoleretur, quod fiebat in holocauſtis: in iſtis parte Hoſtiæ in altari aſſumptâ, reliquum cederet in uſum Sacerdotum: In aliis pars quoque Hoſtiæ traderetur offerenti, ut fieri ſolitum in ſacrificiis pro gratiarum actione. Cœterùm in his omnibus ſacrificiis, vel integra victima, vel pars illius aræ impoſita cremabatur. Erat aliud quoque ſacrificij genus in Deuter. c. 16. & Levit. c. 23. præſcriptum; quod *oblatio ſpontanea* dicebatur: panum ſcilicet ex novis frugibus confectorum, quos in ſolenni feſto Pentecoſtes populus Sacerdoti traditos offerebat. Hic verò duos ex illis panes poſtquàm ante Dominum ſuſtuliſſet, juxtà ritum cum cœteris ſacrificiis communem, reliquos ſpontaneos panes in uſum ſuum ſervabat. Quod uſurpatum quoque in panibus propoſitionis, qui altari impoſiti coram Deo, per hebdomadam conſiſtebant.

Quare neceſſe non eſt, ut rationem cujuſque ſacrificij in victimæ mactatione vel interitu Hoſtiæ conſtituamus; cùm ſufficiat, ſola rei ſenſibilis ad honorem divini numinis ex ipſius Decreto dicatæ oblatio, quæ illi à Miniſtro publico nuncupatur: ut ſacrificium dici poſſit. Quamvis in ſacrificio Euchariſtico, non deſit quoque ſuo modo myſticus victimæ interitus, ſi quis hanc quoque conditionem in ſacrificij veri ratione deſideret.

Expectabit Lector, ut tricas & ambages quibus hæc involvitur materia, uno verbo reſolvam. Sacrificium Euchariſtiæ cùm ſit res eadem cum hoc Sacramento; eorum natura ſic eſt eadem in ſe, ut aliud abſque altero conſiſtere non poſſit. Sacrificium quippè iſtud in eo poſitum eſt, ut immolationem Chriſti in cruce peractam, nobis in myſterio exhibeat; eamdémque victimam Sacramentis præſentem ſic ſiſtat, ut per ſpecies ſenſibiles imponatur altari corpus diſcretum à ſanguine. Id fit per ſpecierum conſecrationem: quæ quatenus Chriſti corpus & ſanguinem ſub formis illis latentia repræſentant, Sacramenta dicuntur: quatenus verò interfecti corporis, & effuſi ſanguinis ſunt ſigna inter ſe diverſa, inſerviunt ad myſticam veri corporis & ſanguinis immolationem.

Quæ quidem myſtica immolatio eſt à Chriſto inſtituta his verbis: *Hæc facite in meam commemorationem:* id eſt, ut explicuit diſertè Paulus, Hanc ceremoniam conficite, ut mors Domini annuncietur, ſignificetur, & in myſterio exhibeatur; renovatâ cruenti ſacrificij memoriâ per ejuſdem Hoſtiæ præſentis, ſed incruento modo, in myſterio deſignatam, & repræſentatam mactationem. Ita variis in locis hanc ſacrificij rationem explicat Auguſtinus, & alij Patres: qui ex eodem fonte ducunt alium loquendi modum: ſcilicet hoc eſſe ſacrificium commemorans ſacrificium cruentum, ut ſæpè Chryſoſtomus loquitur.

Nec

154

Nec eſt quod inde occaſionem ſibi plaudendi deſumant hæretici, qui ob ſolam commemorationem alterius veri ſacrificij, hoc impropriè ſacrificium à Patribus nuncupari contendunt. Sic enim iſtud docent veteres eſſe ſacrificium per commemorationem, ut memoriâ mortis obitæ factâ, eamdam victimam habeat præſentem incruento modo.

Hinc quoque fit, quod tantùm abſit ab inferenda injuria ſacrificio cruento, quod ſolum eſt atque nnicum religionis Chriſtianæ ſacrificium, neque ampliùs repetendum; ut potiùs ad ejus decus augendum non mediocriter valeat. Etenim Sacerdotum miniſterio, ipſe Chriſtus ſeipſum præſentem Sacramento ſiſtit, ut ſuæ mortis jam peractæ memoriam renovet: & incruento modo eamdem Hoſtiam abſque ſacrificij illius cruenti vera & naturali repetitione, ſed tantùm myſticâ, altaribus imponat. Porrò cum ſacrificium ſit conjunctum Sacramento, & iſtud tendat ad animarum refectionem & naturalem unionem cum Chriſto, quæ fit per eſum iſtius cibi cœleſtis; hinc fit ut in ſacrificij Euchariſtici ratione contineatur ejus deſtinatio ad Communionem ſive ſumptionem Sacerdotis, & fidelium. Quod docent ipſa Chriſti verba hoc ſacrificium, & Sacramentum inſtituentis, *Accipite & manducate.* Quod habet exemplum in ſacrificiis Hoſtiarum pacificarum quæ fiebant pro gratiarum actione, ubi pars victimæ cedebat in uſum & Sa-

cerdotum, & ejus qui eam offerebat mactandam.

Hinc colliges ſacrificij rationem non eſſe ponendam in actu Tranſubſtantiationis, quaſi tunc ſpecies intereant, ut placuit Tappero: Ex hoc enim ſequeretur, ſpecies offerri, non autem corpus Domini, quod tunc non interit. Porrò nec ſumptio ſpecierum, & corporis Chriſti pertinet ad eſſentiam ſacrificij unà cum conſecratione, ut viſum Bellarmino. Quoniam hæc eſt ſacrificij jam oblati participatio, non autem ſacrificij ratio: ut palam eſt in ſacrificiis Moſaïcis, quæ mactatâ Hoſtiâ fiebant: licèt peracto ſacrificio in pleriſque pars victimæ cederet Sacerdotibus.

Quæri quoque ſolet, an ſpecies panis, & vini ſint pars iſtius ſacrificij: quod ſi admittitur, ſequetur rem oblatam & victimam aliam eſſe, à victima in cruce oblata. Attamen ex Auguſtino docuit Proſper ſacrificium Eccleſiæ conſtare ex re viſibili, & corpore Chriſti, ſicut Chriſtus conſtat ex Deo & homine. Unde Suares docet, panem & vinum aliquo modo offerri tum quoad ſubſtantiam, quia mutatur in corpus, tum quoad ſpecies, quas ait intrinſecè pertinere ad rem oblatam in hoc ſacrificio; ita ut res oblata per modum termini, non ſit tantùm Chriſtus nudè ſumptus, ſed ſimul cum ſpeciebus, quatenùs cum ipſis unum compoſitum ſacramentale conſtituit. Sed iſta, quæ quibuſdam durior videtur, ſententia, temperari poteſt, ita ut dicatur, rem principaliter oblatam eſſe Chriſtum, ſed ſpecies

155

neceſſarias eſſe ad modum hujus ſacrificij conſtituendum, nempè ut ſit viſibile, myſticum, & incruentum : ſic ut pertineant ad rem oblatam per conſequentiam quamdam, ut corpus quod apertum erat in cruce, hîc ſit opertum.

Reliqua eſt de hujus ſacrificij valore controverſia, qua de re non videtur integrum, ut aliquid diſputetur poſt ſynodi Tridentinæ definitionem, quæ conſtituit hoc ſacrificium eſſe propitiatorium pro peccatis. De quo graviter conqueruntur hæretici, qui ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, ut dici poſſe non abnuunt, ita fieri inſignitam injuriam cruento crucis ſacrificio contendunt, quod peccatorum remiſſionem, deleto in cruce veteris debiti chirographo, ut loquitur Paulus, nobis apud Patrem promeruit, Chriſto livore corporis ſui, imò verò, & morte viliſſimâ pœnas luente noſtris criminibus debitas.

Fatendum eſt ſanè cruentum ſacrificium fuiſſe verè propitiatorium pro peccatis, ita ut quod de ſacrificiis pro peccato tradebatur in lege, quibus offerentes, ut à ſceleribus ſuis expiabantur, hoc impletum ſit in ſacrificio crucis; quo condonatio peccatorum univerſi generis humani facta eſt, cum effuſione ſanguinis Chriſti, ſine qua remiſſio fieri non potuit, teſte Apoſtolo in Epiſtola ad Hebræos. Cœterùm infinita vis illa pretij divini, quo redempti ſunt homines, ut proſit ſingulis, eorum labore procurandum eſt, atque

divinæ gratiæ adminiculis; quæ in eos per Sacramentum, & ſacrificij hujus canales velut aqua ſaliens in vitam æternam deducenda eſt.

Quare duo quædam conſtituere debemus. Primum eſt, Chriſtum, qui fideles unâ crucis oblatione conſummavit, ut ait Paulus, in hoc Sacramento eſſe præſentem quidem, ſed non eſſe in eo ſtatu, ut meritum aliquod novum vel ſatisfactionem nobis acquirat. Secundum eſt, eo modo ſe habere hîc apud Patrem pro nobis, quo ſe gerit in cœlis: ubi, *Ad dexteram Dei interpellat pro nobis*, ut inquit Paulus cap. 8. ad Rom: & in ep. ad Hebræos. Itaque cùm res oblata, & qui principaliter offert & interpellat, ſit ipſe Chriſtus, dubium non eſt, quin ſit in hoc ſacrificio infinita vis inpetrandi, omnem' gratiæ apparatum, quo inſtructi, ingentium criminum veniam conſequi poſſimus. Quid enim deeſt ad peccatorum indulgentiam aſſequendam, ubi auctor ipſe gratiæ, qui eam nobis promeritus eſt cruento ſacrificio, in myſtica ceremonia, illius memoriam renovat, atque pro nobis Patrem interpellat, quò beneficij in cruce quæſiti nos faciat compotes: quæ fuit ſententia diſerti Chryſoſtomi.

Hoc docet vera interpretatio hujus effati Dominici, *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quibus verbis docet Chriſtus, remiſſionem criminum promeriturum ſe mortalibus ſanguine ſuo, quem ſtatim

profuſurus erat in cruce. Cœterùm eumdem illum ſanguinem tanti pretij verè, quamvis myſtico modo, huic poculo eſſe præſentem, ut effuſionis futuræ beneficium, illis in anteceſſum hoc myſterio applicaretur. Sic capere oportet hunc locum juxta vulgatam verſionem, licèt plerique recentiores malint urgere tempus præſens, quod eſt in Græco textu. *Hic eſt ſanguis meus, qui effunditur in remiſſionem peccatorum.* Quemadmodum de pane dicitur per temporis præſentis participium: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur:* Et apud Paulum, *quod frangitur.* Ideò enim uſurpata ſunt verba temporis præſentis, quia mox neci tradendus erat Chriſtus. Præſens poſitum pro proximè futuro. Qui loquendi modus frequens in Evangeliis, hoc loco de induſtria conſtanter retinetur, ut ſciamus, hic nunc geri in myſterio, ad fructum rei adipiſcendum, quod mox faciendum erat in rei veritate, ad peccatorum remiſſionem promerendam.

Quare ut articulum iſtum contraham in pauca, propitiatorium dicitur ſacrificium Euchariſticum, quoniam impetrat gratiam neceſſariam ad ſalutem, & ad ea omnia conſequenda beneficia, quæ Chriſtus nobis ſuâ paſſione promeruit, niſi contumaciter auxilia illa rejecerimus.

Præter interpellationis iſtius vim à Chriſto præſente profectam, quæ dicitur *ex opere operato*, eſt alia quoque inpetrandi ratio, quæ ab Ec-

cleſia, cujus Sacerdos quemadmodum & Chriſti vices gerit, pondus non leve ſortitur. Illa corporis & membrorum poſtulationes explicantur apud Deum, quibus per merita & ſatisfactiones Chriſti, petimus criminum veniam, & quæcumque ad animæ ſalutem pertinent: Addamus & corporis, quatenùs bona temporalia ad ſpiritualem animæ profectum conducunt. Cœterùm quoniam nihil certi nobis Chriſtus quoad res temporales ſpopondit, & earum fortaſsè conſecutio animæ poſſet officere, minùs mirum videri debet, ſi earum adeptione quandoque careamus. *Quid enim nos oremus, ſicut oportet, neſcimus*, Rom. 8. Quæcumque verò quæ per Chriſti merita in ſacrificio impetramus, ea nobis ex opere operato donantur: cui operi adjuncta eſt petitio noſtra, quam Sacerdos Eccleſiæ, & offerentium nomine exponit. Unde fit, ut effectus atque fructus hujus ſacrificij non impediatur ob mala merita Sacerdotis: à quo id tantùm exigitur, ut tanquam publicus Chriſti, & Eccleſiæ miniſter ſacrificium conficiat, & vota ac deſideria poſtulantium Deo exponat.

Offerentium meminimus, quoniam mos iſte invaluit ab ipſo Eccleſiæ exordio, ut quemadmodum in veteri lege juxta vires patrimonij, & cujuſque pietatem, oblationes fiebant à populo, quæ Deo nuncupabantur, ſeu victimarum, ſeu decimarum, vel primitiarũ, aut voti nomine cenſerentur; quarum uſum Deus Sacerdotibus indulſit, Num. 18.

Sic Chriſtiani olim oblationibus frugum ſuarum, & aliquando pecuniæ, Deum venerabantur; quibus deinde Epiſcopus, & Preſbyteri cum reliquo Clero ſeſe exhibebant. Quare oblationum nomine apud Clementem, Irenæum, & antiquiores illos Decimæ, Primitiæ, & aliæ ejuſcemodi fidelium largitiones intelligebantur.

Porrò, ut acceptior, & gratior eſſet divino Numini, cujus honori vovebatur oblatio, fieri ſolita erat in publico Eccleſiæ conventu, à ſingulis fidelibus, quorum dona, & munera in commentarios cum nominibus offerentium redigebantur. Quæ quidem munera ſi ſpecies eſſent confectæ panis & vini, in Eccleſiam inferebantur; aliarum verò ſpecierum, ut frugum, largioris quoque vini, pecuniæ, & aliquando prædiorum ſeu latifundiorum dona pittaciis inſcripta, ut vocat Hieronymus, tradebantur in ea parte Miſſæ quæ hinc dicta eſt *Offertorium.*

Cœterùm ſuæ quiſque Oblationi titulum ſuæ poſtulationis apponebat, ut ejus ſpecialis commendatio fieret in ſacrificio. Hic nuptias commendari oblatione ſua petebat, ut docet Tertullianus; uxor eamdem faciebat oblationem ad refrigerium adpoſtulandum ſpiritui viri jam fato functi, eodem auctore. Hinc natæ frequentes illæ controverſiæ vetuſtis Canonibus deciſæ, quorum ſint Oblationes recipiendæ vel rejiciendæ: quis poſſit oblationibus communicare; quod de perceptione Euchariſtiæ non eſt ſæpiſſime intel-

Digitized by Google

ligendum; ſed de communicatione illa fidelium, quæ ex oblatione conſurgit, in ſacrificio dein commendanda.

Ex muneribus panis & vini Deo oblatis partes aliquæ ſeligebantur ex acervo, velut uncia quædam ex aſſe ſolido, quæ corpus & maſſam integræ oblationis referebant: quæ ad incruentum ſacrificium peragendum ſpecialiter deſtinabantur: in quibus cœteræ oblationes erant veluti complexæ, ut dixi.

Harum oblationum Deo commendatio fiebat oratione ſecretâ: quæ non ſolùm quia ad ſacrificium deſtinatæ erant, Hoſtiæ dicuntur in Liturgiis, vel etiam ſacrificia: ſed etiam quia ex grati animi & contriti ſacrificio, in Dei cultum, ejúſque ſummi dominij agnitionem, divino Numini offerebantur à fidelibus, ut jam monui.

Nomina eorum, qui munera obtulerant, ex libellis qui à Græcis dicuntur Diptyca viventium & mortuorum, recitabantur in ſacrificij actione, ut diſcimus ex Innocentio I. Cujus recitationis locus erat, in ea Liturgiæ parte, ubi vivorum fit mentio, ut & alibi mortuorum.

Hodie vero immutata quidem eſt oblationum inferendarum ratio, tum in eo quòd in ſolis Parochiarum Eccleſiis, ſolennioribus diebus, aut in Miſſis votivis fieri ſolent: tum etiam quod ex rebus oblatis non deſumatur Hoſtia conſecranda, ſed eam è domo ferant paratam qui altari inſerviunt. Attamen non deſivit in Eccleſia nec

158

Oblationum emolumentum, quod certiùs eſt hodie, quàm foret olim, ob modum, quo Decimæ & Primitiæ velut ſola tributa exiguntur; præter luculenta prædia, & Dynaſtias integras, quibus Eccleſia locupletata eſt; Et præter quotidianas, quæ piorum ex liberalitate manant, obventiones: pro quibus donatoribus, ut offerentibus vivis, & mortuis tacitè cenſendus eſt offerre Sacerdos, qui Miſſas agit in ea Baſilica, quæ illorum beneficiis fundata, vel aucta eſt: & pro iis quoque, quorum munera ſuſcepit. Hinc quoque ſequitur, ut Sacerdos, qui offert ſacrificium, Oblatam, ſive Hoſtiam quam ad id munus adhibet ex fidelium beneficentia, ex qua ſine dubio alitur, eam habere dicendus ſit, niſi malit è ſuo illam promere; ut dona, munera, & ſacrificia illibata fidelium dici poſſint, æquè ac dicebantur olim: cùm fideles circumſtantes ſuam ratihabitionem, quaſi à ſe profectam offerant.

Si qui tamen Oblationes, vel munera hodie contulerint Preſbytero inter Miſſas in Offertorio, vel antè dederint, aut ſpoponderint, ut eum invitent ad ſacrificium agendum, hi propriè dicentur, etiam ut olim in Canone Miſſæ, offerre ſacrificium unà cum Sacerdote, ejus tamen miniſterio: quamvis omnes quoque circumſtantes, qui cum fide ac pietate, ſeſe Sacerdoti adjungunt, ſacrificium offerant, ex verbis Miſſæ Latinæ: *Et omnium circumſtantium quorum tibi fides cognita eſt & nota devotio, pro quibus tibi offerimus,*

vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis , pro ſe ſuíſque omnibus. Unde eleganter dixit Auguſtinus loquens de hoc ſacrificio, de Chriſto, & Eccleſia : *Tam ipſa* (id eſt Eccleſia) *per ipſum* (i. Chriſtum) *quàm ipſe per ipſam ſuetus offerri.* Hinc ſequitur neminem ex offerentibus , aut ex circumſtantibus privari poſſe à Sacerdote, eo fructu ſacrificij, qui ad eum ex opere operato pertinere poteſt, pro modo ſuæ devotionis : eúmque fructum ſibi competentem , ſuis quemque communicare poſſe, ut patet ex verbis Liturgiæ. Iſtud verò inter eos, & Sacerdotem hac in parte intercedit diſcrimen , quòd iſte Miſſas agere poſſit, quo jure non potiuntur cœteri ; ſícque ex celebratione Sacerdotis pendet qui ad circumſtantes & offerentes fructus pervenit. Tum etiam quod in Sacerdote, ut pro aliis exaudiatur, quia eſt Ecceleſiæ miniſter, quæ ſancta eſt, non requiritur privata illius caritas , ut ad alios , quibus ille etiam abſentibus, applicat, utilitas ſacrificij redundare poſſit ; quæ tamen pietas neceſſaria eſt in circumſtantibus & offerentibus , ut ſibi atque aliis prodeſſe poſſint : Quod etiam in Sacerdote locum habet, ſi partem fructus ex propria devotione ſibi reſpondentem applicare velit.

Omnes quidem circumſtantes , & abſentes etiam, quibus Sacerdotis miniſterio opus ſacrificij deſtinatur, ejus efficaciam experiuntur: De qua ſunt accipienda hæc verba Joannis cap. 17.

Ego ſanctifico meipſum, inquit Chriſtus, *ut ipſi etiam ſanctificati ſint in veritate*. Loquitur de Apoſtolis, ad quos poſt Euchariſtiæ ſumptionem, graviſſimum illum ſermonem habuit à Joanne relatum. Ubi ſanctificandi Verbum, quod de victimis & de aliis rebus quæ Deo conſecrantur in Exodo, & Levitico uſurpatur; pro Chriſti immolatione per Euchariſtiam deſignata, & mox conſummanda in cruce, accipitur, teſte Chryſoſtomo. Verbum itaque à ſacrificiis deſumptum ad Apoſtolos quoq; Euchariſtiæ participes transfert, ut ipſi ſint ſanctificati, id eſt ſacrificio purgati, & Deo conſecrati, obſignatâ in eorum animis fide & caritate.

Sed uberiores fructus ex hoc ſacrificio capiunt cœteris paribus, qui victimæ communicant. Etenim præterquam quod auctorem gratiæ in ſe recipiunt, propiùs accedunt ad finem hujus ſacrificij, quod eo conſilio inſtitutum monui, ut Chriſtiani fierent ejus participes. Porrò qui edunt Hoſtias *participes ſunt altaris*, inquit Paulus, 1. Cor. 10. Ab hoc ſanè docet Judæos excludi, quod Chriſtianis eſt peculiare cap. 13. ep. ad Hebræos: *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt.*

Sanè ſi quis à communione abſtineat, non carebit omni fructu hujus ſacrificij, ſi per fidem & pietatem, ut dixi, ſe Sacerdoti offerenti, & communicanti conjungat: ut faciebant olim qui pœnitentiæ céſurâ irretiti ſolis orationibus in Ec-

cleſia communicabant, non autem corpori Chriſti; de quibus agitur in Canonibus Synodi Nicænæ, & alibi. Græci quoque, ut teſtatur Ambroſius, ætate ſua, licèt ſynaxi intereſſent, non communicabant, niſi ſemel per annum. Qua de re graviter indignatus Chryſoſtomus, ait fruſtra ſacrificium peragi, ſi Chriſtiani non communicent: à quo peragendo tamen non abſtinebat ille: ſed agebat expoſtulationem ſuam hoc gravi loquendi modo. Unde ſapienter Synodus Tridentina fideles hortatur, ut in ſingulis Miſſis communicent aliqui: ſed ex Laïcorum negligentia noluit, ut Sacerdotes officio ſuo deeſſent in frequentandis ſacrificiis: quemadmodum nec quinto ſæculo ceſſatum fuit ab ſacrificandi opere, aliis quàm tribus ſolennioribus feſtis, Paſchæ, Pentecoſtes, & Natalis Domini; in quibus ut fideles tardi alioquin, & minùs ſeduli in hoc pietatis officio communicarent, Synodus Agathenſis diſertè præcepit.

Syn. Agath. præcepit ut fideles feſtis Paſchæ Pent. ex Nat. Domini communicarent.

Addam hîc velut mantiſſæ vice, quia rei ipſius ſeries hoc poſtulat, licèt ex ſacrificij ratione non ſit, ipſius communio, attamen cùm ad communionem directa ſit à Chriſto hujus ſacrificij inſtitutio, hinc videri, eum Sacerdotem qui in foro vel in menſa palam expoſitum panem conſecrare intenderet, vel etiam privatim, ritu omni externo ad amuſſim obſervato, ut eo ad præſtigias magicas abuteretur, vel ut ludibrio ſacrilegorum exponeret; non autem ut ipſe ex eo ſaltem

communicaret, revera non confecturum hoc ſacrificium. Finis enim illius eſt Dei honor, Eccleſiæ utilitas & fidelium communio: quæ non ſolùm hîc deſunt, ſed contraria impietas exertè ſe prodit. Quare cùm poteſtas conſecrandi ſit moralis, neceſſe ut ad ejus executionem, præter cœteras cauſas, finis quoque concurrat. Præterea cùm Sacerdos in hoc opere ſit Chriſti, & Eccleſiæ miniſter, non poteſt alia intentione illud conficere, quàm quæ fuit Chriſti ipſius inſtituentis: qui noluit derideri, ſed Patrem ſuum hoc ſacrificio coli, mortìſque ſuæ memoriam recoli ad ſanctificationem fidelium.

Antequam in lectionem Bonaventuræ incidiſſem, hanc ego ſententiam in familiaribus congreſſionibus cum hereticis invexi, ut veritatem Euchariſtici ſacrificij ab eorum ſannis aſſererem. Quod feliciter aliquoties mihi cecidiſſe expertus ſum. Eamdémque opinionem applaudente Superilluſtri Franciæ Cancellario, renitente licèt eruditiſſimo Theologo propugnaſſe memini. Hujus quoque opinionis acerrimum vindicem, inveni Hieronymum Columbum lib. 4. de Hierarchia c. 57. qui præter argumenta, hæc teſtimonia laudat his verbis.

Hæc eſt expreſſa D. Bonaventuræ Sententia, qui pro ſe quoque Hugonem referens in 4. Sent. diſt. 10. q 4. ait, Non quantavis materia, inquit, ſed quæ uſui fidelium ſufficiens eſt, & ſanctæ inſtitutioni conveniens efficitur corpus Chriſti. Quia hæc converſio

non ſit virtute verborum, niſi adſit intentio, & intentio concors inſtitutioni, & intentioni Eccleſiæ, quia ſicut dicit Hugo: Omne Sacramentum irritum reputatur, ſi contra inſtitutionem celebretur. Intentio autem Chriſti inſtituentis & Eccleſiæ eſt, convertere ad uſum fidelium. Vnde cùm virtus verborum ſecundum intentionem Eccleſiæ reguletur, ad tantam quantitatem ſe extendit, quantam poteſt Sacerdos conjicere, quod debeat & congruat ſumi in uſum fidelium. Et per hoc patet, quod Sacerdos volens conficere totum panem de foro, nil quidem facit. Et infrà ait: *Si aliquis conficeret non ad uſum, ſed ut projiceret in latrinam, dicitur ab aliquibus quod nihil faceret.*

Hoc ipſum aſſertivè docuit Alenſis 1. parte q. 10. membro 4. art. 2. q. 8. ac ſecutus eſt Angelus verbo, Euchariſtia §. 25. Quinimò & D. Thomas in Opuſculo 5. q. de Sacram. Euch. c. 5. velut probabile admittit: eo quia requiratur etiam intentio Chriſti inſtituentis, qui non intendit ut extra uſum fidelium tali tantóque ludibrio celebretur hoc Sacramentum.

Cæterùm duplex eſt offerendi actio in Sacerdote. Prima verſatur circa ſpecies panis & vini ad ſacrificium peragendum deſtinatas, quæ Deo ſic offeruntur, ut multiplici oratione rogetur eas acceptas habere, & benedicere. Quibus in orationibus inſeruntur vota precéſque fidelium, quarum impetratio pendet ex ſecunda offerendi actione, quæ fit poſt conſecrationem, ad

quam agendam accedit Sacerdos præmiſsâ brevi, ſed gravi oratione, quâ ſimul explicat, cur Oblationes panis & vini propoſitas Deo commendarit; & eâdem operâ mox recitandam ſub Chriſti nomine formulam Oblationi conſecrandæ applicat his verbis: *Quam Oblationem quæſumus Domine in omnibus benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilémque facere digneris, ut nobis corpus, & ſanguis fiat dilectiſſimi filij tui Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Unde factum ut apud veteres, & in Synodo Romana ſub Gregorio VII. conſecratio fieri dicatur, *verbis Chriſti, & precibus Sacerdotis:* id eſt iſthac præcipuè oratione, quæ verba Chriſti applicat. Quo ſenſu à Græcis, teſte Cabaſilâ precibus Sacerdotis confici ſacrificium dicitur, quia verba Chriſti illis applicantur: illud tamen eſt diſcrimen inter Liturgias; quod in Orientalibus, preces ſubſequantur ſtatim recitationem verborum Chriſti. Quod intelligendum eſt, ac ſi utrumque uno ſpiritu, & momento proferretur, ut explicuit Beſſarion in Concilio Florentino ad ſedandam controverſiam, quæ hac de re Græcis cum Latinis interceſſerat. In Miſſa verò Latina, rectiùs preces antecedunt; & præcipuè iſta quam monui ideò præſcriptam, ut verba conſecrationis ſub nomine Chriſti proferenda, ad Oblationem præſentem applicentur & definiantur.

Peractâ verò conſecratione ſequitur ſtatim ſecunda offerendi actio, quâ Sacerdos ſuo, & of-

ferentium ac circumſtantium nomine defungitur; ut Deum veneretur, ac ſuas illorúmque poſtulationes ſuperioribus orationibus expoſitas, adjunctâ Hoſtiæ cœleſtis, quam Patri offert, interpellatione adſequatur. *Offerimus præclaræ majeſtati tuæ, de tuis donis ac datis, Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ & Calicem ſalutis perpetuæ:* Obtulerat priùs dona & munera fidelium, oblatas ſcilicet panis & vini ſpecies, ut Deo eſſent acceptæ, eáſque benediceret, & tandem eas efficeret corpus & ſanguinem ſuum.

Nunc verò Chriſti corpus & ſanguinem prout in hoc Sacramento ſunt myſticè immolata, & memoriam renovant cruenti ſacrificij in cruce peracti, offert divinæ Majeſtati. Quâ oblatione non fit ſacrifiicium incruentum, quod jam peractum eſt conſecratione; ſed adjungitur actioni & interpellationi Chriſti, actio Sacerdotis, qui victimam præſentem Chriſti mediatoris, Patri offert, ut ejus miſericordiam alliciat.

In hac autem orationis formulâ, duo loquendi genera notanda ſunt. Unum eſt, corpus Domini his ſpeciebus opertum, eleganter dici, *Panem ſanctum vitæ æternæ*, ob permutationem illam nominum quæ fit in hoc myſterio inter ſymbola, & rei veritatem, ut docuit eruditè Theodoretus. Quod deſumptum ex cap. 6. Joannis, ubi Chriſtus præludens Euchariſtiæ, ſe panem vivum nuncupat. Calix quoque dicitur ſalutis

perpetuæ,

162
perpetuæ, eâdem ratione, quâ panis vitæ æternæ dictus eſt.

Alterum loquendi genus eſt, offerri Deo Hoſtiam iſtam *ſanctam ex ſuis donis, & datis.* Quod ideò dictum, ut res univerſas dominio ad Deum pertinere fateamur. Adeò ut dona & munera quæ illi obtulimus, teſtemur ex ejus donis eſſe profecta: juxta illud lib. 1. Paralip. c. ult. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus reddimus tibi.* Quod alio quoque Canonis loco profitemur, nempè per Chriſtum hæc omnia ſemper bona creari, & ſanctificari. Illud quoque non omittendum eſt, mutationem primæ Oblationis in ſecundam, id eſt ſymbolorum in corpus & ſanguinem Domini, ſignificari verbis illis, *Ex tuis donis & datis, panem ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ.*

Porrò Deus rogatur, ut hoc ſacrificium ſereno vultu accipiat, ſicut reſpexit in Abelis, Abrahami, & Melchiſedechi ſacrificio. Quod non refertur ad victimam ac ſi Patri minùs grata eſſet: ſed ad ipſos offerentes, quibus hæc ipſa victima, ſit licèt pretij infiniti, proficere non poterit, niſi aliundè fide ſuâ & pietate juventur. Quem intellectum eſſe verum, docet ipſa trium ſacrificiorum ſimilitudo: ubi victimæ ſelectæ ex armentis, & panes atque vinum Melchiſedechi cùm eſſent res à Deo conditæ, non poterant eſſe niſi valde bonæ, ut loquitur ſcriptura:

Sed animus Offerentis imparatus poterat Dei bonitatem lædere, & clementiæ ipſius effectus retardare. Ne tale aliquid accidat Chriſtianis in hoc ſacrificio, orat Sacerdos, ut petitionibus noſtris, adjutis hujus victimæ præſentiâ & interpellatione, Deus ſe propitium exhibeat.

Quæ poſtulatio ut effectum habeat, petit iterùm Sacerdos rem oblatam unà cum votis atque orationibus fidelium conjunctam perferri per manus Angeli ad ſublime altare Dei. Ad hanc formulam Liturgiæ alludit Irenæus, qui Euchariſtiæ oblationem in ſublime illud altare deferri docet. Quæ phraſis metaphorica petita eſt ex Apocalypſi, ubi altaris coram Deo poſiti mentio, in quo ſcilicet orationum victimis Deo litatur: Chriſto qui ad dexteram Patris ſedet, merita ſua per mortem ſuam in hominum beneficium quæſita, Patri proponente, ut eorum fructus uberrimos fideles capiant. Angeli verò injicitur, quoniam preces Angelorum miniſterio ab hominibus ad Deum deferri dicuntur in ſcripturis: & ut noſtra cum ſanctis Communio oſtendatur, non ſolùm cum hominibus fato functis, quorum Communio, & memoriæ veneratio jam ſancita eſt, ſed etiam cum Angelis, qui ſunt miniſtratorij ſpiritus ad noſtram ſalutem, quorum hìc maximus numerus Regem ſuum Chriſtum ſtipans conſiſtit, teſte Chryſoſtomo & Gregorio.

Cùm res oblata ſit Chriſtus, & ipſe ſit qui principaliter hoc ſacrificium conficit, Sacerdotum uſus miniſterio, palam eſt, hujus ſacrificij infinitas eſſe vires: Neque verò aliquid ex ejus valore deteri, quòd miniſter ſit tenuis homo: qui potentiam Dei infinitam remorari non poteſt. Attamen fructus hujus ſacrificij cùm in homines redundare debeat, qui fide ſuâ & pietate locum præbeant tanto beneficio, finitus eſt pro modulo cujuſque ad quem pervenit. Cœterùm tam benigna eſt beneficij copia, ut quibuſque proſit, qui ſe illius recipiendi idoneos præbuerint, ita ut nullum detrimentum inferatur uni, ex alterius communione. Id egregiè docet Miſſæ Canon, ubi pro Eccleſia univerſa, pro Papa, Diœceſis Epiſcopo, Rege, pro ſingulis quoque fidelibus, pro ſe ipſo orat Sacerdos, pro aliis quoque, quos ſigillatim memorat: quia virtus ſacrificij tam copioſa eſt, ut omnibus ſufficiat: Et ſi aliquis minùs, vel nihil inde capiat, ſuæ negligentiæ id damnum imputare debeat: non ſacrificij deficientiæ. Si quis verò cavilletur hinc ſequi, unius Miſſæ recitatione pluribus à Sacerdote ſatisfieri poſſe. Reſponderi poteſt id eſſe contra bonam fidem, ſi abſque gravi cauſſa, qui pollicitus eſt ſingulis ſuum ſacrificium, unius actione defungatur. Deinde, cùm pietas cujuſque neceſſaria ſit ad fructum Miſſæ capiendum, qui pluribus unâ vice ſe ſatisfacturum putat,

occaſionem fortaſsè ſingulis adimit exhibendi ſe paratos huic beneficio recipiendo. Prætereà cultum Divinum, qui præcipuè in hoc ſacrificio verſatur, per negligentiam ſuam imminuit.

PETRI DE MARCA

CONSTANTINOPOLITANI

DISSERTATIO

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

PETRI DE MARCA,

PARISIENSIS ARCHIEPISCOPI,

DE

CONSTANTINOPOLITANI

PATRIARCHATUS INSTITUTIONE.

DISSERTATIO

ſeu

EXERCITATIO

AD CLARISSIMUM CALVINIANI RITUS VIRUM SCRIPTA.

CUM nuper in ſubdiavli Palatij Dominici familiares quoſdam ſermones ad invicem ſereremus, incidit potiùs quàm ab ullo procurata ſit de ſententia Auguſtini hæreſim definientis quæſtio inter te, & R. Patrem Leo-

nardum Capucinum priſci moris, germanæ eloquentiæ, & Chriſtianæ Philoſophiæ athletem ſtudioſiſſimum. Ut autem fieri ſolet in hujuſce generis colloquiis, quæ ab uno articulo profecta in varias diſceptationes effunduntur, accidit ut ego ne agerem quod fieri ſolet in veterum comœdiis Κωφὸν πρόσωπον, orationis meæ ſymbolam contulerim de Conſtantinopolitani Patriarchatûs inſtitutione, & auctoritate Romani Papæ. Exiſtimabam ea verba quæ mihi aliud agenti excidiſſent velut ἔπη πτερόεντα, adeò præterlapſa, ut nullà mihi litis exinde movendæ ſuſpicio reliqua eſſet. Ecce tamen in adverſaria ſedulò retuliſti, quæ veluti per tranſennam indicaveram potiùs quàm expreſſeram: Et mecum diſertè contendis Patriarchatum Conſtantinopolitanum inſtitutum fuiſſe à Synodo Conſtantinopolitana ſub Theodoſio, ita ut mihi laudabilia mea conſulenda eſſe videam, & velut in charta παλιμψήστῳ Diſſertationem, ſeu Exercitationem iſtam de integro diſcutiendam.

Igitur aſſero conſtanter de conſilij mei ſententià, Jus Πατριαρχικὸν Epiſcopo Conſtantinopolitano attributum fuiſſe in Synodo Chalcedonenſi, honorem verò ſolùm in Synodo Conſtantinopolitana; ita ut ſpeciem Patriarchatûs obtinuerit in ſecunda Synodo, vim autem & effectum in quarta. Quod ut liquidiùs pateat, ponenda eſt hæc certiſſima πρόληψις Imperij Romani deſcriptionem factam ab Auguſto, deinde ab Hadria-

no Imperatore, & Provinciarum totius orbis partitionem, interpolatam à Conſtantino Magno, & præcipuè in Magiſtratuum muniis, & officiis immutatam fuiſſe. Etenim cùm anteriores Principes ſummam rerum adminiſtrationem uni, & dein duobus Præfectis Prætorio credidiſſent, ille tantam dignitatem in quatuor partes diſcerpſit: totidémq; Præfectos inſtituit, ſcilicet Præfectum Prætorio Orientis, Præfectum Prætorio Illyrici, Præfectum Prætorio Italiæ, & Præfectum Prætorio Galliarum. Præfecto Prætorio Orientis Ægyptum, Orientem, Ponticam, Aſiam & Thraciam attribuit. Præfecto Illyrici, Theſſalos, Cretenſes, Græciam, & circum aſſitas Inſulas, Epirum utramque, Illyrios, Dacas, Triballos, Pannonios Valeriam uſque, & Mœſiam ſuperiorem conceſſit. Præfecto Italiæ totam Italiam, Siciliam, Sardiniam, Corſicam & Africam à Syrtibus Cyrenen uſque. Præfecto Prętorio Galliarum Tranſalpinos, Celtas, & Hiſpanos cum Inſula Britannia. Hujus diviſionis teſtem locupletem laudo Zozimum l.2.

Ad hujus deſcriptionis normam exigenda eſt veteris Eccleſiaſticæ politiæ conſtitutio, quæ licèt juxta varias Provinciarum mutationes à poſterioribus Principibus decretas, à priſtina forma diſcedere, & novam induere noluerit, in ipſa tamen fundandæ Religionis origine, quia Eccleſia eſt in imperio ut agnoſcit Optatus, imperij diſpoſitionem ſtudioſè & prudenter amplexa eſt. Itaque in Urbe totius orbis domina,

Sedis Apoſtolicæ Principatum collocavit, & Occidentis Patriarchatum. Orientales tractus Alexandrino & Antiocheno Epiſcopis, & cœterarum Diœceſeon Exarchis regendos commiſit; ut commodioris & verioris doctrinæ cauſa, Eccleſiæ Politiam in Orientalem & Occidentalem dividere liceat. Tractus Occidentis utpotè nobilior ob B. Petri meritum, veteris Romæ dignitatem & Provinciarum amplitudinem, cœteras omnes Eccleſias antecellit, eáſque Diœceſes complectitur, quas Præfecti Prætorio Italiæ, Galliarum & Illyrici juriſdictione ſuâ continebant. Quæ autem tributæ erant Præfecto Prætorio Orientis, Alexandrinæ, Antiochenæ, & aliis quibuſdam Eccleſiis erant commiſſæ: Ita ut ab initio naſcentis Eccleſiæ videatur eſſe delineata, illa quaſi futuri præſaga diſtributione, orbis Romani in Occidentis & Orientis imperium diviſio. Quam primus tentavit Diocletianus Imperator cum ſibi & Galerio Maximino retinuit Orientem, in Urbe Nicomedienſi Regiâ conſtitutâ, ἐν τῇ Νικομηδείᾳ τὰ βασίλεια ἐπεποίητο. Occidentémque Conſtantio, Patri Conſtantini, & Maximiano diſtribuit, datis huic Illyrico, Italiâ, & Africâ; illi Britanniis, Hiſpaniis & Galliis apud Socr. lib. 1. c. 6. Conſtantinus autem cùm ſolidam à morte Licinij, Romani Imperij ſuſcepiſſet adminiſtrationem, & ei trium liberorum caritas eſſet antiquior, quàm Reipublicæ cura, illis orbem teſtamento partitus eſt; ſed ita tamen ut πρῶτος τῶν

ἑσπερίων μερῶν, Conſtantius vero τὴν πρὸς τῇ ἕῳ, poteſtatem obtineret, inquit Socr. lib. 1. c. 25. Valentinianus ſenior ſecutus exemplum tam fœdæ diviſionis, Valentem fratrem effusâ liberalitate conſortem Imperij deſignavit, eíque Aſiæ, & Ægypti tradidit dominatum, Sibi τὴν Εὐρώπην ἀπένειμε, ait Theod. lib. 4. c. 5. quod fuſiùs & explicatiùs ſignificat Sozomenus lib. 4. c. 6. Τὰ μὲν πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα παρέδωκεν αὐτῷ. Τὰ δὲ ἀπὸ Ἰλλυριῶν ἐπὶ τὸν Ἑσπέριον Ὠκεανὸν, καὶ πᾶσαν τὴν ἀντικρὺ ἤπειρον μέχρις ἐσχάτων Λιβύων ἐφ᾽ ἑαυτὸν ἔταξεν· id eſt Oriente fratri conceſſo, ſibi Pręfecturas Italiæ, Galliarum & Illyrici reſervavit.

Quod ut accuratiùs intelligatur, proponenda eſt quatuor Præfecturarum deſcriptio, ut eam exhibet notitia Imperij facta ſub Arcadio & Honorio. Igitur Præfectus Prætorio Orientis quinque Diœceſes obtinebat. Eſt autem Diœceſis tam in Codice Theodoſiano, quàm in antiquis Conciliis plurium Provinciarum adminiſtratio. Illæ quinque Diœceſes erant Oriens, Ægyptus, Aſiana, Pontica & Thracia. Sub Oriente ſunt xv. Provinciæ: Palæſtina prima, Palæſtina ſecunda, Phœnicia prima, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Iſauria, Palæſtina ſalutaris, Phœnicia Libani, Euphratenſis, Syria ſalutaris, Oſdroëna, Meſopotanica, Cilicia ſecunda.

Quatuor Præfecturarũ deſcriptio ſub Arcadio & Honorio.

Ægypti ſunt ſex Provinciæ: Lybia ſuperior, Lybia inferior, Thebaïs, Ægyptus, Arcadia & Auguſtanica.

Sub Aſiana Diœceſi ſunt decem Provinciæ: Pamphylia, Helleſpontus, Lydia, Piſidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana, Phrygia ſalutaris, Lycia, Caria, Inſulæ.

Pontica Diœceſis habet totidem Provincias, quæ ſunt: Galatia, Bithynia, Honorias, Cappadocia prima, Cappadocia ſecunda, Pontus Polemoniacus, Helenopontus, Armenia prima, Armenia ſecunda, Galatia ſalutaris.

Thracia ſex Provinciis componitur quæ ſunt: Europa, Thracia, Hæmimontus, Rhodope, Mœſia ſecunda, Scythia.

Præfectus Prætorio Illyrici præſidet duabus Diœceſibus Macedoniæ & Daciæ. Sub Macedonia ſunt ſex Provinciæ: Achaia, Macedonia, Creta, Theſſalia, Epirus vetus, Epirus nova, & pars Macedoniæ ſalutaris.

Dacia quinque habet Provincias. Illæ ſunt: Dacia Mediterranea, Dacia Ripenſis, Mœſia prima, Dardania Prævalitana, & pars Macedoniæ ſalutaris.

Porrò ut tota ratio diſpoſitionis Eccleſiaſticæ ſit liquidior, hîc eſt obſervandum ſedulò, in hac notitia deſcribi truncatum Illyricum aliqua ſui parte. Etenim, ut ante docuit Zozimus Conſtantino Imp. σύγχρονος ſcriptor; præfectura Illyriciana conſtituta fuerat à Magno illo Principe, ita ut Pannonias Valeriam uſque complecteretur, quæ regio abeſt à notitia Imperij ſcripta ſub Arcadio: ídque factum eſt conſultò. Nám-

que temporibus Arcadij Præfectura Illyrici coërcita finibus Daciæ & Macedoniæ Diœceſeon, Orientis imperio ceſſerat, reliquâ Conſtantinianæ Præfecturæ Illyrici parte, Occidentis imperio reſervatâ. Etenim non inutiliter monueramus ſupra Occidentis Tractum ſub Diocletiano, Conſtantino, & Valentiniano ſeniore ſolidum Illyricum fuiſſe complexum. Sed quia accidit, ut Illyricum ab hujus lugubri edita ſtrage vaſtaretur, illud Valentinianus Theodoſio ſocero muneri dedit, ut notat Jornandes de ſucceſſ. Reg. id eſt eas Illyricianæ Præfecturæ Provincias quæ propiùs ab Urbe Conſtantinopolitana, & imperij Orientalis viribus & militaribus copiis aberant. Solam ſibi reſiduam fecit Illyrici partem quæ ulteriùs in Occidentem penetrabat, quam Præfecto Prætorio Italiæ adjunxit, ita ut deinceps inter legendum occurrat duplex Illyricum Occidentale, & Orientale. De hoc jam diximus. Occidentale autem ſex Provinciis conſtat. Pannoniâ ſecundâ, Dalmatiis, Pannoniâ primâ, Savia, Norico Mediterraneo, & Norico Ripenſi.

Illyricum in duas partes diviſum.

Occidentale & Orientale.

Præfectus Prætorio Italiæ tres Diœceſes habuit Italiam, Africam, & Illyricum. Et hoc quidem poſt Valentinianum, ut dixi, non autem ſub Conſtantino.

Italia complexa eſt decem & ſeptem Provincias, Africa ſex, nempe, Africam ſive Proconſularem Provinciam, Byzacium, Numidiam,

Mauritaniam Sitifenſem , Mauritaniam Cæſarienſem & Tripolim; Ita ut adjunctis ſex Illyrici Occidentalis Provinciis ſub Præfecto Prætorio Italiæ xxix. Provinciæ adnumerarentur.

Præfecto Prætorio Galliarum adſcribit Zozimus Tranſalpinos Celtas, & Hiſpanos cum Inſula Britannia. Sub Galliarum Diœceſi decem & ſeptem Provincias Notitia conſtituit, ſub Hiſpanica ſeptem, & ſub Britanniis quinque.

Nic. Syn. Occidentales & Orientales Diœceſes tribus Epiſcopis, attribuit Romano Alex. & Antioch.

Omnium autem illarum Diœceſeon Occidentalium, & Orientalium partitio Tribus Epiſcopis præcipuè, Synodi Nicænæ Decreto ſancita, & attributa fuit ſecundum veterem ſuperioris temporis conſuetudinem, Romano, Alexandrino, & Antiocheno can. vi. ita ut Alexandrinus, Ægypti, Libyæ, & Pentapoleos habeat τὴν ἐξουσίαν, Antiochenus Orientis, id eſt Syriæ, Cœleſyriæ, Ciliciæ utriuſque & Meſopotamiæ, ut notant Zonaras, & Balſamon ſui ſæculi tantùm rationem habentes, quo tres Palæſtinæ adjudicatæ erant Hieroſolymorum Epiſcopo, & Arabiæ cum aliis quibuſdam Orientis Diœceſeos Provinciis tyrannide Muhammedanæ impietatis opprimebantur: Portionem vero lautiorem & opimiorem tulit Epiſcopus Romanus, juxta Zonaræ & Balſamonis ſententiam, qui verba hæc illius Canonis: *Quoniam & Epiſcopo Romæ hoc eſt conſuetum*, exponunt his verbis: Καθὼς καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥωμαίων Ἐκκλησίᾳ τῶν ἑσπερίων ἄρχειν ἔθος ἐκράτησε. Atque ita totum Occidentis tractum Epiſcopo Romano

concedunt, quod infrà copioſiùs & uberiùs comprobabitur.

Interim addo inſinuatam dicto Canone ſexto inſignem quamdam Provinciarum adminiſtrationem, quæ tribus illis Patriarchis ordinario jure non ſubeſſet, quam nec Græci commentatores, nec Latini ſubodorati ſunt. Etenim conſtituto Alexandrinæ Eccleſiæ jure ad exemplum, & normam Romani Epiſcopi, ſimile jus ὁμοίως, ſancit Antiochiæ, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις. Ergo in quibuſdam aliis Provinciis prętere Antiochenam, Alexandrinam & Romanam, erant ſimilia adminiſtrationis πρεσβεῖα. Expendendum eſt enim, quod non inutiliter eſt adjectum, adverbium illud ὁμοίως. Et ne diutiùs aliquem torqueat ſcrupulus quem injeci, diſcutiendus eſt Synodi Conſtantinopolitanæ primæ Canon ſecundus, qui harum Provinciarum ſeriem recenſet. Poſtquàm enim jura Patriarcharum ſub Imperio Orientali degentium ſancita ſunt, decernente Concilio, ne Diœceſibus præpoſiti Epiſcopi, οἱ ὑπὲρ διοίκησιν ἐπίσκοποι limites ſuos excedant, ſed ſecundum Canones Alexandriæ Epiſcopus, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ diſpenſet, & Orientis Epiſcopi, τὴν Ἀνατολὴν μόνην. Servatis privilegiis Antiochenæ Eccleſiæ, quæ ſunt ei Canonibus Nicænis tributa: Addit Canon ille ſecundus velut interpretem agens Canonis Nicæni ſexti, Καὶ τοὺς τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως Ἐπισκόπους, τὰ κατὰ τὴν Ἀσιανὴν μόνον οἰκονομεῖν· *& Ponticæ Epiſcopos Ponticam, Thracicæ autem Epiſcopos Thracicam*

Adminiſtratio quædam Provinciarũ obſervata quæ Tribus illis Patriarchis ordinario jure non ſubeſſet.

Patet ex Can. II. Conſtantinopolitano.

Tres Diœceſes Patriarchis non ſubditæ.

Diœceſim. Aſiana ergo Diœceſis, Pontica, & Thracica nulli Patriarchæ ſuberant, ſed Synodus Provinciæ & Diœceſeos cujuſque, ordinationes Epiſcoporum, & reliquam Eccleſiaſticam adminiſtrationem exequebatur, ut ſtatuit dictus Canon ſecundus. Qui egregiè providit earum omnium Eccleſiarum τῇ οἰκονομίᾳ, quæ Diœceſibus, & Provinciis illis continebantur, quas Præfectus Prætorio Orientis regebat. Quáſque ex Zozimo, & Notitia Imperij monuimus fuiſſe quinque Diœceſes Ægyptum, Orientem, Aſianam, Ponticam & Thracicam, quæ Provincias quadraginta ſeptem conficiebant.

Ex Theodoſ. Imper. apud Theod.

Porrò non ſolùm Canon iſte meminit Epiſcoporum Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ Diœceſeon, ſed etiam Theodoſius Imperator apud Theodoretum lib. 5. c. 23. qui Romanis de cauſſa Flaviani Antiocheni Epiſcopi cum eo ſæpiùs expoſtulantibus, reſpondit, Flaviano communione jungi præter Orientem, Aſianam, Ponticam & Thracianam πρὸς δὲ τὴν ἑώαν, καὶ τὴν Ἀσιανὴν ἅπασαν, καὶ ποντικὴν, καὶ μέντοι, καὶ Θρακιανὴν. Imò &

Ex Conſtantio Imper.

Conſtantius Imperator Seleuciæ quæ urbs eſt in Iſauria Concilium convocari mandavit, ad ídque frequentes accedere jubet, τοὺς τῆς ἑώας Ἐπισκόπους, καὶ μετὰ δὲ καὶ τοὺς τῆς Γοντικῆς, καὶ τοὺς τῆς Ἀσιανῆς, apud Theod. lib. 2. c. 27. Epiſcoporum etiam Aſianæ Diœceſeos & Ponticæ, in celebratione

Ex Conſtantino Imp.

Paſchæ conſentientium mentionem facit Conſtantinus Imperator apud Euſebium, lib. 3. de

vita

170

vita Conſt. c. 18. ut vel hinc pateat ſatis antiquam eſſe harum Eccleſiarum diſpoſitionem. Quæ profectò ſi non orta, tamen valdè confirmata, fuit à Vicariorum Præfecti Prætorio Orientis, & Proconſulum adminiſtratione politica.

Vicarij enim tam in Occidentis quàm Orientis Imperio ſingulas vice & loco Præfectorum, Diœceſes regebant: quare aliquoties in veteribus inſcriptionibus *Propræfecti* vocantur, & in Codice Juſtiniani Vicarij, aut *Vicariam agentes Præfecturam*, & in edicto octavo Juſtiniani dicuntur πληρῦν τὸν τόπον τῆς ἐπάρχότητος, *implere vices Præfecturæ*: quod explicabitur commodiùs cùm agetur de auctoritate Romani Epiſcopi.

Orientalis ergo Præfecturæ tres olim fuêre Vicarij. Lex ultima C. de diverſis officiis, quatuor quidem Orientis Vicarios ponit Thraciæ, Ponti, Aſiæ, & Macedoniæ. Sed advertendum eſt legem illam Leonis & Zenonis eſſe, qui ſui ſæculi formam ſequentes, contra diviſionem antiquam Macedoniam Orientis Imperio accenſebant. Cœterum de aliis tribus Vicariis teſtantur: Quinimò Theodoſius Imperator pluribus annis antè, Conſtitutionem emiſerat ad Philoxenum Vicarium Ponticæ, l. 124. C. *Theodoſ. de Decurionibus*. Vicarij Thraciæ meminit Juſtinianus No. 26. *De Prætore Thraciæ*. His in univerſum præmiſſis collato pede ſingulæ Diœceſes aggrediendæ ſunt.

Q

Aſiana Diœceſis diverſa ab Aſia Min. & ab Aſia Proconſ.

Aſiana Diœceſis occurrit prima nominis & Provinciarum dignitate : quæ longè diverſa eſt ab Aſia Minore à Geographis deſcripta , & ab Aſia Proconſulari. Etenim Strabo lib. 11. & 12. Aſiam illam Minorem ἰδίως Καλουμένην Aſiam , τέταρτον τμῆμα facit Majoris illius quæ veteribus tertia pars orbis erat , quamque ἤπειρον μεγάλην vocabant. Hanc Minorem Aſiam inſtar Peninſulæ deſcribit intra maria , Ponticum , Propontidem , Ægæum , & Pamphylium incluſam. Hujus Peninſulæ Iſthmum à mari , quod Tarſum Ciliciæ alluit , ad Amiſum Urbem , & Themiſcyram Amazonum campum extendit. Et ea ratione pars Diœceſeos Orientis , & Ponticæ in hâc Strabonis definitione intercipitur ; Verùm ille non civilis adminiſtrationis , ſed Geographiæ rationem habuit. Preſſiùs Aſiam Minorem deſcripſit Agrippa apud Plinium , duplicémque fecit citeriorem , & ſuperiorem. Citerior quæ & Aſia Ἰδικωτάτως à Proconſule regebatur qui Proconſul Aſiæ. Hæc Lydiam , Cariam , Myſiam , Phrygiam , & Helleſpontum continebat. Pars ſuperior Pamphyliam , Lycaoniam , Galatiam , Piſidiam , Iſauriam & Ciliciam. At Vicarius Aſianæ Diœceſeos juriſdictioni ſuæ ſubjectas habuit Pamphyliam , Lydiam , Helleſpontum, Piſidiam, Lycaoniam , Phrygiam utramque , Lyciam , Cariam & Inſulas. Sic ex Aſiæ citerioris , & ſuperioris Provinciis mixtis ad invicem Aſiana Diœceſis , & Vicarij adminiſtratio conflata fuit , ut

obſervat Salmaſius ad Solinum. Iſauria & utraque Cilicia ſuperſunt quæ Diœceſi Orientis adjudicatæ ſunt. Ἀνατολὴν enim ab Aſia accuratè diſtinguebant veteres ſaltem poſt Conſtantini Magni ætatem; licèt alter Conſtantinus Porphyrogenneta Aſianam iſtam Diœceſim diſtinguat juxta loquendi modum infimo ſæculo receptum in Thema Thracenſium, & Thema Anatolicum, id eſt in Thracenſium regionem, & Orientalem partem, unde Provinciis illis hodie nomen Natoliæ quæſitum eſt.

Cœterùm, ut dilucidiùs res iſta aperiatur, præter decem illas Provincias in Notitia deſcriptas, erat etiam altera quæ ſtrictiſſimè ſumpto vocabulo Aſia nuncupabatur, nempè regnum Attali Pergameni, quod Romanis ab eo heredibus inſtitutis obvenit; illi verò cernentes hereditatem, ditionem illam in Provinciæ formam redegerunt, Aſiamque de continentis nomine appellaverunt. οἱ δὲ ἐπαρχίαν ἀπέδειξαν τὴν χώραν, Ἀσίαν προσαγορεύσαντες ὁμώνυμον τῇ ἠπείρῳ, inquit Strabo lib. 13. Proconſuli Aſiæ demandata fuit hæc Provincia, cujus caput & Metropolis erat Epheſus, adeò ut Antoninus Auguſtus ad deſideria Aſianorum reſcripſerit Proconſuli neceſſitatem imponi per mare ad Aſiam appellere, primamque τῶν Μητρόπολιν Ἔφεσον attingere inquit Ulpianus lib. 4. ff. *de Off. Proconſ.* Conſtitutâ à Conſtantino Orientis Præfecturâ Proconſulatus iſte quidem remanſit & Aſiæ appellatio: cœterùm

breuioribus terminis circumſcripta fuit Aſia Provincia, ita ut Lydia, Caria, Helleſpontus, & Cyclades diſtractæ fuerint, & in ſpeciale Provinciarum nomen tranſierint. Ideòque Eunapius Sophiſta Aſiam recentiorem, & Proconſularem à Pergamo, & ora maritima in continentem Caria tenus, & ad Tmolum montem ex parte Lydiæ deſcribit, ἀνθύπατοι αὐτὴν ἐπιστήσας τῆς νῦν Ἀσίας Καλουμένης· αὐτὴ ἀπὸ περγάμου τὸ ἀλυχλυές ἐπέχουσα, πρὸς τὴν ὑπερκειμένην ἤπειρον ἄχρι Καρίας ἀποτέμνεται, καὶ ὁ Τμῶλος αὐτῆς περιγράφει τὸ πρὸς Λυδίαν. Hæc eſt ergo Aſia Proconſularis quæ Proconſuli data eſt adminiſtranda poſt Conſtantinum. Appendicis vice Helleſpontus, & Inſulæ ejus etiam adminiſtrationi demandatæ ſunt temporibus Arcadij, ut patet ex Notitia. Hinc eſt illuſtranda lex tertia C. Theod. de fide Cathol. ubi Theodoſius Aſiam Proconſularem ab Aſiana diſtinguit, licèt eas in unum corpus quoad ſtatum, & communionem Eccleſiaſticam cogat. Verba legis illius infra recitamus. Diſtinctionis autem cauſſa alia proferenda non eſt, quàm Proconſularis dignitas, quam licèt minuere truncatis, & reciſis ab ejus juriſdictione Provinciis, ſubjicere tamen Vicariis Imperatores non ſategerunt. Quare in Notitiis, neq; Proconſul Aſiæ ſub juriſdictione Vicarij Aſianæ Diœceſeos, aut Præfecti Prætorio Orientis, nec Proconſul Africæ ſpecialiter ſumptæ & unius ex ſex Africæ Provinciis, ſub Vicarij Africæ, aut Præfecti Prætorio Italiæ diſpoſitione con-

tinebantur. Unde libuit Eunapio in Maximo, aſſerere Pònconſulatum Aſiæ eſſe dignitatem illuſtriſſimam, non obnoxiam Præfecto Prætorio, ἔστι δὲ ἀρχῶν ἐνδοξοτάτη, καὶ οὐ Κατήκως τοῦ τῆς αὐλῆς ἐπάρχου. Quæ ſanè dura ſunt, egéntque caſtigatione aut benigniſſimâ interpretatione. Licèt enim obſervaverimus ex Notitia, Proconſulatus Aſiæ & Africæ, non fuiſſe ſubditos diſpoſitioni Præfectorum Prætorio, id de militari & alia omni adminiſtratione, prȩter eam quæ in juris dicundi cognitione verſatur, intelligendum eſt: etenim hac in parte à Proconſulibus, Comitibus, & his qui vice Prȩfectorum cognoſcunt, ad ipſos Prȩfectos appellatio permiſſa fuit à Conſtantino; à Præfectis autem Prætorio, qui ſoli vice ſacra cognoſcere verè dicendi ſunt, provocari non ſinit, *Ne jam veſtra*, inquit, *contingi veneratio videatur*, l.16.C.Th.de Appellat.l.13.Tit.30. Unde Juſtinianus appellationes à Proconſule Cappadociæ à ſe noviter inſtituto, à Præfecto prætorio Orientis & Quæſtore ſuſcipi, & more conſultationum definiri voluit No. 30. Eum tamen honore & dignitate Præfectis Prætorio coæquat, nempè quia militares copias per Diœceſim Ponticam ſparſas ejus imperio ſubjecerat. Sint ergo Aſiæ & Africæ Proconſules aliquo modo pares Præfectis, Dignitatè; neque ſub ejus diſpoſitione ſi de eorum coërcitione agatur, vel quoad adminiſtrationem militarem recenſeantur. ſanè in jure dicundo ejus auctoritati & juriſdictioni ſub-

jiciuntur. Hæc nobis in anteceſſum obſervanda fuerunt, ut Aſianæ Diœceſeos Eccleſiaſtica diſpoſitio ſinceriùs intelligatur. Quæ profectò & Aſianam Vicarij, & Aſiam Proconſularem cœteris Provinciis dignitate ſuperiorem eſt complexa.

Porrò ſedes Proconſulis conſtituta fuit Epheſi; quæ civitas Μητρόπολις τῆς Ἀσίας appellatur apud Ulpianum, lib. 4. ff. *de Officio Proconſulis.* Unde etiam in rebus Eccleſiaſticis Epheſus, totius Aſianæ Metropolis fuit teſte Chryſoſtomo in Commentariis Epiſt. 1. ad Epheſios; Adeò ut ei jus Patriarchicum tribuat Evagrius lib. 3. cap. 6. cùm ſcribit Timotheum Ælurum Alexandrinum Epiſcopum, Eccleſiæ Epheſinæ jus Patriarchicum reſtituiſſe, quod ei ademerat Concilium Chalcedonenſe :: Ἀποδίδωσι δὲ τῇ Ἐφεσίων Ἐκκλησίᾳ, καὶ τὸ Πατριαρχικὸν Δίκαιον, ὅπερ αὐτὴν ἀφεῖλεν ἡ ἐν Καλχηδόνι Σύνοδος. Hinc Theodorus Epiſcopus Act. XVIII. Syn. VI. ita ſubſcribit: *Theodorus miſericordiâ Dei Epiſcopus Epheſi Metropolis primæ, Aſianæ Diœceſeos, definiens ſubſcripſi.*

Imò etiam ne quid diſſimuletur, Epheſina Eccleſia inter Apoſtolicas Eccleſias, & Apoſtolorum Cathedras recenſetur à Tertulliano *lib. de Præſcript. c.* 36. Quia ſcilicet à B. Paulo Apoſtolo inſtitutus fuit in hac Metropoli Timotheus, eique rediens è relegatione Joannes Apoſtolus ſucceſſit, ut notat è Codice Martyrij Timothei Photius in Bibliotheca, Tmemate 254. Unde in-

quit Jrenæus, lib. 3. c. 3. relatus ab Euſebio, lib. 2. c. 17. Η ἐν Ἐφέσῳ Ἐκκλησία ὑπὸ Παύλου μὲν τεθεμελιωμένη, Ιοάννου δὲ Παραμείναντος αὐτοῖς μέχρι τῶν Τραϊανοῦ Χρόνων, Μάρτυς ἀληθής ἐστι τῆς τῶν Αποςόλων Παραδόσεως.

Pontica Diœceſis ſuum Vicarium habuit, quem Gregorius Nazianzenus in Orat. de laudibus Baſilij, Ποντικῆς Διοικήσεως ὕπαρχοι nominat. Ejus juriſdictioni ſuberat totus ille tractus à Bithynia uſque ad Armeniam; adeò ut Galatiam, Pontum utrumque, & Cappadociam rexerit teſte Juſtiniano in Edicto octavo.

Sedes præcipua Vicarij conſtituta fuit Cæſareæ in Cappadocia; factíque ratio hinc petenda eſt, quòd gens Cappadocum totius ferè Ponti imperium olim obtinuerit, τοῦτο γὰρ Πόντου σχεδὸν παντὸς ἐξῆρχε, inquit Juſtinianus No. 30. de Prætore Cappadoc. Eumeni delato poſt obitum Alexandri, Cappadociæ, Paphlagoniæ, & oræ Ponticæ Trapezuntem uſque Imperio apud Arrianum, Dexippum, Juſtinum & Curtium. Deinde ex Provinciæ ſitu, quia, ut inquit Solinus c. 45. Cappadocia gentium univerſarum quæ Pontum accolunt præcipuè introrſus recedit. Reges autem Cappadocum olim Mazacam Urbem elegerunt, etſi multis de cauſſis incommodo ſitu, ut ibi Regni lares figerent, quia gentis erat velut umbilicus. Strabo lib. 12. ὃ πρὸς κατοικίαν μάλιστα οἱ βασιλεῖς ἑλέσθαι δοκοῦσιν, ὅτι τῆς χώρας ἁπάσης τόπος ἦν μεσαίτατος. Adnotaverat autem ſuperioribus ver-

ſiculis: Μάζακα ἡ Μητρόπολις τοῦ ἔθνους, καλεῖται δ' Εὐσέβεια· quæ poſteà Cæſarea dicta eſt teſte Plinio & Ptolomæo. Ad hanc ſententiam Solinus: *Mazacam ſub Argæo ſitam Cappadoces matrem habent Vrbium*, & Stephanus: Καισάρεια Μητρόπολις τῆς Καππαδοκίας, ἡ πρὶν Εὐσέβεια καὶ Μάζακα.

Hæc ergo Cæſarea etiam in rebus Eccleſiaſticis jus Metropoliticum exercuit per Diœceſim Ponticam. Unde Gregorius Nazianzenus eleganter de laudibus Baſilij, Cæſaræam vocat ſacrarum litterarum, & Urbium, quibus præeſt, Metropolim: οὐχ ἧττον λόγων Μητρόπολιν, ἢ τῶν πόλεων ὧν ὑπερέχει, καὶ καθ' ὧν ἔχει δυναστείαν. Ideóque Gerontius Preſbyter tractatum ſuum adverſus Lampetium Meſſalianum, Alypio Ἀρχιεπισκόπῳ τῆς ἐν Καππαδοκίᾳ Καισαρείας, dicat apud Photium in Bibliotheca Tmemate 51. qua dignitate Archiepiſcopi Cæſarienſis inſignitur Baſilius in Synodo in Trullo. Quæ appellatio apud veteres nullis præter Exarchos conceditur.

Hujus verò auctoritatis Eccleſiaſticæ Cæſarienſi competentis luculenta exempla habentur apud Sozom. lib. 6. c. 12. qui refert Concilium Ponticæ Diœceſeos Tyanis celebratum tempore Valentiniani Imperatoris ſub Euſebio Epiſcopo Cæſareæ in Cappadocia. Et Gerontium Nicomedienſem Metropolitam in Bithinia ordinatum fuiſſe ab Helladio Cæſareæ Cappadocum Epiſcopo lib. 8. c. 6. Hinc eſt quod Catholicus Armeniæ, ſeu Metropolitanus Armeniæ Epiſcopus ab Archie-

piſcopo

piſcopo Cæſareæ in Cappadocia, etiam poſt Conſtantinopolitani Patriarchatus inſtitutionem ſemper ordinatus fuit, ut teſtatur Nicon.

Reſtat Thracica Diœceſis, quæ Vicario Præfecti Prætorio Orientis parebat, ut monet Juſtinianus Imp. No. 26. de Pretore Thraciæ, cujus Vicarij ſedem conſtituit in Civitate Longi-muri. Porrò cum Civitas iſta μακροῦ τείχους, condita fuerit ab Anaſtaſio Imperat. ad avertendas Barbarorum in Romanum ſolum excurſiones, ut ſcribunt Cedrenus & Suidas, neceſſe eſt ut ſuperiori tempore, Vicarius Thraciæ in Præcipua Thraciæ Urbe moratus fuerit; Quæ porrò non erat alia quàm Heraclea aut Perinthus: De hac enim Procopius lib. 4. de Ædific. Juſtin. Ἡράκλεια δὲ ἡ πόλις ἡ καὶ ἡ Πέρινθος, ἣ πάλαι μὲν Πρωτεῖα τῆς Εὐρώπης ἐδίδοτο. Europa, hîc eſt una è Provinciis Thraciæ, eáque prima & nobilior. Itaque huic Urbi præ cœteris Severus Imperator deletum poſt longam & duram obſidionem Byſantium, & in vici formam redactum olim addixerat, ut notat Herodianus lib. 3. quod privilegium Conſtantinus excitata Conſtantinopoli novâ Româ in ruderibus Byzantij omninò abrogare noluit, reſervatâ ſaltem in rebus Eccleſiaſticis Heracleenſis Metropolitæ dignitate, & Epiſcopi Conſtantinopolitani ordinatione, quod obſervat Gregoras lib. 6. Τούτῳ τῷ Μητροπολίτῃ κατὰ τὰ πάλαι ἐφεῖται προνόμια χειροτονεῖν τὸν τῆς Κωνσταντινουπόλεως. τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου τὸ Βυζάντιον

εἰς νέαν ϗ μεγίςτην Καταςήσαντες Ῥώμην, μὴ καταλύειν ἐθελήσαντος τὰ τῶν πάλαι βασιλέων προνόμια; ἀλλ' ἐπικυρώσαντος μᾶλλον αἰδοῖ τῆ μακαρίου Χρόνου, καὶ τοῦ τὸν νόμον θέντος Σεβήρου.

Non abludit Zonaras ad Can. III. Syn. Conſtantinopolitanæ; recitatâ enim deditione Byzantij à Severo in jus Perinthiorum tranſlati, ſubjicit. Πέρινθος δ' ἐστὶν ἡ Ηράκλεια, ὅθεν τῆς Ηρακλείας· ϗ ἡ Χειροτονία τοῦ Πατριάρχου ἀπονενέμηται, ὡς παρ' αὐτοῦ Χειροθετουμένου τοῦ Επισκόπου, τοῦ Βυζαντίου. Priſtinæ autem illius auctoritatis in univerſam Thraciam Heracleenſi Epiſcopo concreditæ veſtigia certiſſima ſuperſunt, in Epiſcopatuum veteri laterculo quem exhibet Leunclavius, ubi Metropolita Heracleæ πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων ϗ Εξαρχος πάσης Θρακίας indigetatur.

Tot autem erant Eccleſiaſticæ Metropoles in Thracica Diœceſi, quot monuimus ſuprà ex Notitia fuiſſe Provincias, nempè ſex numero. Quod facilè comprobabo inſigni teſtimonio Theodoreti lib. 5. cap. 28. cùm ait de Thracia, εἰς ἓξ ἡγημονίας διῄρηται; & ſubdit de Aſiana, ὑπὸ ἕνδεκα ϗ αὐτὴ ἀρχόντων ἰθύνεται, de Pontica, ἰσαρίθμους ἔχει τῆς Ασίας τοὺς ἡγουμένους. Ubi lapſus Chriſtophorſoni eſt advertendus qui ἡγεμονίας illas, Epiſcopatus vertit, quaſi Thracia vaſta illa regio ſex Epiſcopatibus tantùm regeretur, Aſiana undecim, & Pontica totidem. Imò verò de Metropolibus totidem Provinciarum eſt intelligendum; quas undecim numero Theodoretus hoc loco fuiſſe

Chriſtophorſoni lapſus.

docet; Licèt in Notitia Imperij deſcripta ſub Arcadio, & Honorio decem tantummodò Provinciæ Ponticæ Diœceſi, & totidem Aſianæ adnumerentur; Quoad Ponticam enim ratio habita fuit diſpoſitionis Provinciarum ab illis Imperatoribus decretæ, quæque tunc in ordine politico vigebat: Ideóque omiſſa eſt Paphlagonia Provincia, quæ ut ſuperioribus temporibus ſolidam Provinciam Minoris Aſiæ, & Ponticæ Diœceſeos conficiebat; ita ab Honorio Imperatore maximam diminutionem eſt paſſa, ut docuit nos Juſtinianus noſter No. 29. Τὸ τοίνυν Παφλαγόνων ἔθνος ἐπὶ τοῦ Ονωρίου τοῦ Εὐσεβοῦς λήξεως Χρόνων ἐλαττωθὲν καὶ πόλεις ἀποβαλόν τινας. Qui quidem Juſtinianus Honoriadem Provinciam, & Paphlagoniam in unum corpus coëgit, eíque Novæ Provinciæ, Prętorem Paphlagoniæ à ſe creatum pręfecit, ſervata urbi Claudiopoli dignitate Metropoleos in Honoriade, & Gangrenſi in Paphlagonia, περὶ γὰρ τὰς ἱερωσύνας οὐδὲν Καινίζομεν, inquit idem Juſtinianus. Videtur autem ab Honorio attributa fuiſſe Paphlagonia Galatię Provinciæ; ex eoque id probari poſſe quod in laterculo Provinciarum adjuncto Geographiæ Ptolomęi, cujus tamen auctor eſt recentior Ptolomęo, in prima Aſiæ Tabula, recenſetur Galatia conjunctim cum Paphlagonia his verbis, Γαλατία ἐν ῇ Παφλαγονία: qui locus caſtigari non debet, neque Provinciæ illæ dividi, ut fecit Salmaſius. Quod eleganter confirmatur *Salmaſij hallucinatio.* ex iis quæ diſſeruit Euſebius Ancyræ Epiſcopus

Act. vi. Concil. Chalced. Profeſſus eſt enim ille, Civitatem Gangrenſem ad ſe decreta Electionis Petri Epiſcopi detuliſſe, ut ab eo Epiſcopus inſtitueretur, & ut hoc illi perſuaderetur Tres, ab Epiſcopis Ancyranis Gangriæ Epiſcopos ordinatos commemoraſſe; ſe verò renuiſſe ordinationem, ne in litem cum Proclo Archiepiſcopo Conſtantinopoleos incideret; ipſius tamen Procli mandato Petrum ordinaſſe & in poſſeſſionem miſiſſe, ἐνεχείρισα αὐτὸν. Enimverò quo jure Gangrenſes ab Epiſcopis Ancyranis, jam ab aliquot annis ordinationem tenuiſſent, niſi quia Ancyranus erat Metropolita Galatiæ primæ, cui ab Honorio ſubjecta fuerat Paphlagonia. Cæterùm quin ſuperioribus temporibus Paphlagonia cenſeretur inter Aſiæ Provincias, dubium non eſt ex Plinio, Strabone & Ptolemęo: dividebatúrque in Maritimam, & Mediterraneam. Maritima cum Ponto, & Helenoponto tandem eſt confuſa. Mediterranea verò Romanis ceſſit, deficiente Regum ſtirpe, quorum ultimus Deiotarus Gangris Morzei quod eſt oppidulum caſtrúmque munitum, Regiam conſtituit, τὸ Μορζέως Βασίλειον ἔχων τὰ Γάγγρα Πολισμάτιον ἅμα καὶ Φρούριον· apud Strabonem lib. 12. Inde urbi Gangrenſi conciliata eſt Metropolitana dignitas, quam in rebus Eccleſiaſticis ſemper obtinuit, ipſíque Paphlagoniæ decus Provinciæ, etiam invito Honorio conſervavit, ut patet ex ſubſcriptionibus Epiſcoporum Concilii Chalcedonenſis apud Iſi-

dorum, & in Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ edito Moguntiæ anno 1525. & alibi: ubi undecim Provinciæ ſub Pontica Diœceſi earúmque Metropolitani recenſentur, Bithyniæ, Nicomedienſis, Galatiæ primæ, Ancyranus, Galatiæ ſecundæ, Peſſinunſis, Cappadociæ primæ, Cęſareenſis, Cappadociæ ſecundæ, Tyanenſis, Armeniæ primæ, Sebaſtenus, Armeniæ ſecundæ, Melitenus, Ponti Polemoniaci, Neocæſarienſis, Helenoponti, Amaſenus, Paphlagoniæ, Gangrenſis, & Honoriados Claudiopolitanus. Rectiſſimè ergo Theodoretus undecim Provincias Eccleſiaſticas Ponticæ Diœceſi accenſuit: Notitiáque Imperij decem tantummodò in Politica diſpoſitione deſcripſit.

De Aſiana minor eſt difficultas, quæ licèt decem Provinciis in Notitia circumſcribatur, quoad Imperij & Magiſtratuum adminiſtrationem; tamen in rebus Eccleſiaſticis Aſia Proconſularis illi conjungitur, ut monuimus ſuprà ex lege Tertia C. Theod. de fide Cath. Adeò ut in Concilio Conſtantinopolitano ſolius Aſianæ appellatione, Aſia Proconſularis, & Vicarij Aſiana Diœceſis comprehendatur, ut & iſto ad rem propoſitam egregio Theodoreti loco, τῆς Ασίας ὅλης nomine. Non ergo mirum eſt, ſi Theodoretus undecim Provincias & Metropoles numeret cùm Aſianæ, Proconſularem Aſiam adjungat. Vetus quędam Notitia Provinciarum quam profert Salmaſius, duodecim Provincias in Aſia recenſet, Aſiam-

que propriè ſumptam primam Provinciam conſtituit; Sed ut numerum duodenarium impleat, Galatiam laterculo inſerit, errore & oſcitantiâ ſupinâ, quam non caſtigavit Salmaſius, cùm Galatia Ponticæ Diœceſi, & non Aſianæ debeat accenſeri.

Error à Salmaſio non emendatus.

Cœterùm Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ Diœceſeon Metropolitæ Primarij Exarchi dicebantur, Ἔξαρχοι, ſcilicet Epiſcopus Epheſinus, Cęſareenſis, & Heracleenſis. Licèt enim ex ſententia Synodi Sardicenſis Can. VI. Metropolitanis omnibus nomen Exarchi competat, ut obſervat Zonaras ad Can. XVII. Syn. Chalced. tamen anguſtius aliquid ſonat, ſi rem penitus inſpiciamus. Etenim nunc Patriarchas ſignificat, ut cenſebant illi veteres apud Zonaram, τινὲς μὲν ἐξάρχους τῶν Διοικήσεων τοὺς Πατριάρχας φασί. ſaltem cum Diœceſeon additamento; nunc verò primi gradus & pręcipuos honoratioréſque Metropolitanos, qui non ſimpliciter Exarchi, ut cęteri; ſed ὑπέρτιμοι ἔξαρχοι, appellebantur teſte Gregorio Codino. His permiſſum fuit ad exemplum Patriarcharum geſtare in Eccleſiis ſuis Polyſtauria, inter quos recenſet Zonaras Epiſcopos Epheſi, Cęſareæ, Theſſalonicæ & Corinthi, etſi tres illi priores jampridem capite minuti eſſent: ἐλέγοντο δὲ Ἔξαρχοι καὶ ἕτεροι, ἤγουν ὁ Καισαρείας Καππαδοκίας, καὶ ὁ Ἐφέσου, καὶ ὁ Θεσσαλονίκης, καὶ ὁ Κορίνθου, οἷς λέγεται διὰ τοῦτο καὶ προνόμιον δοθῆναι, Πολυσταύρια φορεῖν ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις αὐτῶν.

Qui ſint Exarchi.

Quare conſtanter audeo pronuntiare, Epheſi, Cęſareæ, & Heracleæ Epiſcopos nomine ἐξάρχων τῶν Διοικήσεων, comprẹhendi dicto Canone 11. Syn. Cóſtantinopolitanæ cujus interpretatione defungimur. Inſignia autem tantæ dignitatis argumenta ſuperſunt in Actis Concilij Chalcedon. in quibus, Exarchis illis, priores Sedes poſt majorum gentium Patriarchas paſſim tribuuntur. Etenim Act. 1. à parte lęva ante cancellos, τοῦ ἁγιωτάτου θυσιαστηρίου collocantur Legati Sanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis, Anatolius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanæ regiæ Civitatis, Maximus Archiepiſcopus Antiochiæ, Thalaſſus Epiſcopus Cęſareæ Cappadociæ, & Stephanus Epiſcopus Epheſi, cum cœteris religioſiſſimis Epiſcopis Orientis & Ponti, & Aſianæ & Thraciæ τῶν Διοικήσεων. A dextra verò parte Dioſcorus Archiepiſcopus Alexandrinus, Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymorum, & Quintillus Epiſcopus Heracleæ primæ Macedoniæ, vices agens Anaſtaſij Epiſcopi Theſſalonicenſis, Petrus Epiſcopus Corinthi, & reliqui Ægyptiacæ Diœceſis & Illyrici. Et ſtatim poſt Juvenalem Epiſcopum Hieroſolymorum recenſentur, & ſententiam dicunt Act. 1. VI. & XVI. Quintillus Heracleæ ἐπέχων τὸν τόπον τῆς Θεσσαλονίκης, Thalaſſius Epiſcopus Cęſareæ Cappadociæ, Stephanus Epiſcopus Epheſi, & Lucianus Epiſcopus Byſiæ, Vicarius Cyriaci Epiſcopi Heracleæ Thraciæ. In Epheſino Concilio celebrato ſub Dioſcoro Alexandrino poſt Domnum Antioche-

Eph. Cæſar. & Heracl. Epiſcopi Exarchi Can. 11. Syn. Conſtantinopolitana.

num ſedent & cenſent Stephanus Epiſcopus Epheſi, & Thalaſſus Epiſcopus Cęſareæ Cappadociæ, ut refertur in Act. 1. Synodi Chalcedonenſis. In legitima verò Synodo Epheſina, cui pręfuit Cyrillus Alexandrinus, & vices agens Cœleſtini Romani Epiſcopi, poſt Juvenalem Hieroſolymorum ſedent Memnon Epheſi, Flavianus Philipporum, Vicarius Rufi Theſſalonicenſis Epiſcopi, Theodotus Ancyræ, & Firmus Cęſareæ Cappadociæ; In Actis Synodi Epheſinæ Tom. 2. c. 1. editionis Peltani, ubi expungendus eſt error qui in ordinem ſedentium Epiſcoporum irrepſit, Theodoto Ancyræ in Galatia prima Epiſcopo, poſt Theſſalonicenſem, ante Cęſareenſem locato, cùm poſtponi & ſequi debuiſſet, ut conſtat ex cap. 3. Tom. 2. ubi Firmus Cęſareæ poſt Juvenalem Hieroſolymorum Epiſcopum ante Ancyranum ſententiam dicit. Quin etiam ſubſcribit prior Theodoto Ancyrano ſententiæ latæ contra Neſtorium Tom. 2. c. 10. & Synodicæ epiſtolæ ad Clerum Conſtantinopolitanum ſtatim poſt Flavianum Legatum Theſſalonicenſis Tom. 2. c. 23. Planè negandum non eſt quin magna fuerit Ancyranæ urbis dignitas, quæ & Auguſtum cieret conditorem, ut notat Joannes Tzetzes Chiliade prima, capite, de Mida, & inde valdè commendata eſſet, quod vivo Auguſto & templa, & aras ſumptibus Aſiæ poſuiſſet ὑπὸ τοῦ Κοινοῦ τῆς Ασίας ἐν Ἀγκύρῃ, ut emendavit Scaliger apud Joſephum Originum lib. 16. c. 10. eſſétque Galatiæ Provinciæ

Expungitur error qui in ordinem ſedentium Epiſcoporum irrepſit.

Ancyranæ urbis dignitas.

Provinciæ à Gallis olim occupatæ Metropolis; ut docet è veteri Inſcriptione Caſaubonus ad Suetonium; quod jus Metropoliticum etiam in rebus Eccleſiaſticis obtinuit. Attamen, ut dixi, & Cæſareenſis, & Epheſini potior erat dignitas. Quod etſi ſatis apertè ſit à nobis demonſtratum, addam tamen hoc unum teſtimonium petitum è literis Epiſcoporum Ægyptiacæ Diœceſeos ad Leonem Imperatorem in tertia parte Concilii Chalcedonenſis. Ubi de facinoribus Timothei Æluri, & cæde Proterii Alexandrini, damnationéque Synodi Chalcedonenſis à Timotheo facta conquerentes, petunt ab eo, ut ea de re ad Leonem Romanum Pontificem, Epiſcopos Antiochenum, Hieroſolymitanum, Theſſalonicenſem & Epheſinum, alioſque referat, ut quod æquius viſum fuerit de illorum ſententia ad Canonum violatorum injuriam ulciſcendam decernat. Ubi nominatim Epheſinus poſt Patriarchas & Theſſalonicenſem Epiſcopum Romani Pontificis Legatum, non autem inter cœteros recenſetur, ſcilicet aliquot annis poſt Concilium Chalcedonenſe durante etiamnum adhuc priſtinæ dignitatis fumo.

Ex ſupradictis liquidò conſtat tam ex præſcripto Nicænæ Synodi quàm Conſtantinopolitanæ, Ordinationes & cœtera negotia Eccleſiaſtica ſic adminiſtrata fuiſſe in Aſiana, Pontica, & Thracica, ut totum arbitrium penderet à Synodis cujuſque Provinciæ; nec aliquid ſibi in eas arroga-

ret ullus Patriarcharum, imò nec ipſæ inter ſe tres illæ Diœceſes commiſcerentur, ut patet Canonem ſecundum legenti. Quæ diſpoſitio magnum incendium excitavit in animis Conſtantinopolitanorum, deſideriúmque injecit Provincias illas invadendi, & eo pacto novi Patriarchatus Inſtituendi; ut regia civitas, quæ Novæ Romæ nomine cohoneſtabatur, ſecundum locum poſt veterem Romam in rebus Eccleſiaſticis obtineret.

Epiſcopi Conſtantinopolitani ambitionis occaſio.

Sed quia uno impetu id perfici non poterat, viſum eſt cautiùs id peragi poſſe, ſi tantæ civitati indulgeretur in gratiam Comitatus Imperatorii, quod ſine magna aliorum injuria fieri poſſe in Æliæ Epiſcopo præjudicatum fuerat. Itaque cùm Juris Patriarchici duæ ſint partes ἡ προεδρεία καὶ ἡ προστασία, Adminiſtratio autem duo ſumma capita complectatur Metropolitanorum Χειροτονίαν, & Synodorum Provincialium διαφοράν, aut etiam ἔκκλητον in Synodo Patriarchali dijudicandam; Patres Conſtantinopolitani can. 3. partem alteram Patriarchatus nempe τὴν προεδρείαν, & Privilegia Honoris poſt Epiſcopum Romanum tribuunt Epiſcopo Conſtantinopolitaneos, eo quòd ſit ipſa Nova Roma. Τὸν μέντοι Κωνσταντινουπόλεως Ἐπίσκοπον ἔχειν πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης Ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν Νέαν Ῥώμην. Ubi ſunt expendenda verba illa πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, *Privilegia Honoris*, non autem privilegia Adminiſtrationis. Neque ſanè poſt Canonem ſecundum, aliud tribuere poterat Canon Tertius, quàm Ho-

Secunda Synodus Can. 3. privilegia Honoris poſt Romanum Pontificem tribuit Conſtantinopolitano Epiſcopo.

noris prærogativam. Sita enim erat urbs illa regia in faucibus Europæ & Aſiæ; ſed tamen in Diœceſi Thraciæ, cujus, ut & Aſianæ & Ponticæ adminiſtrationem, Provinciarum Synodis Canon ſecundus commiſerat, juxta prę́ſcriptum Synodi Nicænæ, κτ̀ τὰ ἐν Νικαίᾳ ὡρισμένα; tantú abeſt ut hac in parte aliquid innovare decreviſſet. Id ergo ſolú prę́ſtitit hę́c ſecunda Synodus quod in ſua poteſtate ſitum eſſe arbitrabatur, nempe Honoris prę́rogativam: cui rei aggrediendæ prę́luxerant ſuo prę́judicio Patres Nicæni, qui Can. VII. Hieroloſymorum Epiſcopo τῆς τιμῆς ἀκολουθίαν atribuerunt, ſervatâ Metropoli, id eſt, Cæſareæ Paleſtinæ, propriâ dignitate. Quamquam non tam illa parte jus novum ſtatuit Nicæna Synodus, quàm συνήθειαν, & παράδοσιν ἀρχαίαν confirmat, ut diſertè profitetur. In illo tamen VII. Canone elucet manifeſta diſtinctio, inter ἐξουσίαν, & πρεσβεῖα, accepta ἁπλῶς, quæ Canone VI. irrogata ſunt Eccleſiis Alexandrinæ, & Antiochenæ, & Ακολουθίαν τῆς τιμῆς, quæ ſancitur Æliæ Epiſcopo. Ut mirandum non ſit cur ex rerum conſequentia, & ex ipſa verborum vi πρεσβεῖα τῆς τιμῆς collata Epiſcopo Conſtantinopolitano de Privilegiis Honorariis interpreter. Quæ differentia confirmatur apertiſſimè ex Can. XII. Synodi Chalced. quo decernitur Honorem ſolum impendi Epiſcopis earum civitatum, quibus reſcripto Principis conceſſum eſt jus Metropoleos μόνης ἀπολαυέτωσαν τῆς τιμῆς, ſervato antiquæ Metropoli jure ſuo. Occa-

ſionem autem condendi Canonis xii. prębuerunt contentiones ortæ inter Photium Epiſcopum Tyri Metropolitam Phœniciæ primæ, & Euſtathium Epiſcopū Beryti Metropolitico jure ab Imperatore recèns cohoneſtatæ Act. iv. Et inter Eunomium Epiſcopum Nicomedienſem, Bithyniæ totius Metropolim ſibi aſſerentem ex veteri conſuetudine, & Anaſtaſium Epiſcopum Nicænum novam Metropoleos dignitatem Sedi ſuæ arrogantem ex reſcripto Valentiniani, & Valentis Act. xiii. quam litem prolatis hinc inde tabulis de Concilij ſententia Judices cognitores ita ſopierunt: Τὴν μὲν Αὐθεντίαν τοῦ Μητροπολίτου ἐν ταῖς κατὰ Βιθυνίαν Ἐκκλησίαις ὁ Νικομηδείας Ἐπίσκοπος ἕξει· τοῦ Νικαίας τὴν τιμὴν μόνην τοῦ Μητροπολίτου ἔχοντος, ὑποκειμένου δὲ κατὰ μίμησιν τῶν ἄλλων Ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας, τῷ τῆς Νικομηδείας. Eadem honoraria dignitas Metropolitica conceſſa fuit urbi Chalcedonenſi à Marciano Imperat. de Synodi Oecumenicæ ſententia Act. vi.

Unde patet non eſſe alienam à mente antiquorum Canonum Honoris, à poteſtate ſecretionem, utpotè quæ Canonum auctoritate ſit introducta. Noſtram igitur interpretationem quod attinet ad Patriarchatus Conſtantinopolitani Honorariam inſtitutionem in ſecunda Synodo, hęc ſatis confirmant. Quibus addemus, Epiſtolam Synodicam Concilij Chalcedonenſis, & Zonaræ teſtimonium ad Can. xxviii. illius Synod. Imò & ipſius Anatolij Epiſcopi Conſtantinopolitani

confeſſionem ingenuam, qui Synodi evocandæ è Provinciis jus nullum ſibi competere profitetur. Quæ opportunè ſuis locis infrà recitabuntur.

Quid dicemus de Socrate, éſtne adverſarius, an ſententiæ noſtræ aſtipulator? Tentemus. Ait ille l. 5. c. 8. Decretum fuiſſe in ſecunda Synodo ut Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat πρεσβεῖα τῆς τιμῆς poſt Romanum Epiſcopum. Nihil ergo mutat ex iis quæ aſſeruimus. Sed ſubjicit, eam Synodum diſpertitis Provinciis Patriarchiàs conſtituiſſe. Καὶ κληροῦνται Νεκτάριος μὲν τὴν μεγαλόπολιν, καὶ τὴν Θρᾴκην· obveniſſéque Nectario Conſtantinopolim & Thraciam, Ponticæ Diœceſeos τὴν Πατριαρχίαν Helladio Cęſareæ Cappadociæ, Gręgorio Nyſſæ, & Otreio Melitenæ in Armenia Epiſcopis. Aſianæ verò Amphilochio Iconij, & Optimo Antiochiæ in Piſidia, Ægyptum Timotheo Alexandrino attributam. Permiſſas autem Orientis Eccleſias Pelagio Laodiceæ & Diodoro Tarſi, reſervatâ Antiochenæ Eccleſiæ prærogativâ: addítque his definitionibus Imperatorem ſuffragatum fuiſſe. Hinc tantùm confici poſſet contra poſitionem noſtram ſaltem in Thraciam ſummum jus, & Patriarchalem auctoritatem attributam fuiſſe Conſtantinopolitano Epiſcopo. Quanquam in eo ipſo fallatur Socrates, & in eo etiam quod plures Patriarchias introductas fuiſſe in Oriente, in Aſiana & Pontica, argutetur contra mentem & verba Canonis ſecundi, ut conſtat ex iis quæ ſupra obſervavimus. Niſi temperare

Socrates interpretatus de jure communionis Eccleſiaſticæ.

malimus Socratem, & ſanâ interpretatione mollire, ita ut Patriarchias illas temporarias κατὰ χρηστικῶς accipiamus non de jure aliquo, & dignitate Epiſcopalibus Sedibus attributa contra veterem Canonem, ſed de jure communionis Eccleſiaſticæ quod erat pars non contemnenda juris Patriarchici. Etenim cum variis & falſis opinionibus diſcerptus eſſet Oriens, Ægyptus, & Aſiana, Pontica & Thracica Diœceſes. ne pij & optimi viri fallerentur dum incautiùs hæreticis Epiſcopis communicarent, hæc regula præſcripta eſt à Patribus Conſtantinopolitanis, ut iis ſolis communicaretur qui communione juncti eſſent Nectario quoad Conſtantinopolim, & cœteris Epiſcopis quoad Ægyptum, Orientem, Aſianam, Ponticam & Thracicam.

Sozom. l. 7. c. 9. velut interpretãs Socratem.

Quod ita eſſe cuique facilè perſuadebit Sozomenus, qui velut interpretans Socratem ſcribit l. 7. c. 9. Synodicis Decretis ſuum ſuffragium Imperatorem adjeciſſe, & caviſſe ut rata haberetur fides Concilij Nicęni, & Eccleſiæ iis committerentur, qui in tribus perſonis unam confiterentur divinitatem. Hos verò eſſe τοὺς κοινωνοῦντας Νεκταρίῳ ἐν Κωνσταντινουπόλει. qui communicarent Nectario, Conſtantinopoli. in Ægypto cum Timotheo Alexandrino; in Orientalibus Eccleſiis cum Diodoro Tarſenſi, & cum Pelagio Laodicenſi in Syria. Apud Aſianos cum Amphilochio Iconij. In civitatibus verò Ponti, ἀπὸ Βιθυνῶν μέχρι Ἀρμενίων, cum Helladio Cęſareæ Cappodo-

181

cum, Gregorio Nyſſæ, & Otreino Melitenæ. Ἐν δὲ ταῖς περὶ Θρᾴκην καὶ Σκυθίαν πόλεσι, Τερεντίῳ τῷ Τομέων, καὶ Μαρτυρίῳ τῷ Μαρκιανοῦ πόλεως. *In Thraciæ autem, Scythiæque urbibus cum Terentio Tomorum, & Martyrio Marcianopolis Epiſcopo.* Ex quo diſcimus nullam propterea Sedibus illis Epiſcopalibus perpetuam Patriarchiæ dignitatem attributam, ſed emendatæ Epiſcoporum illorum vitæ & integræ famæ, quòd religiosè ſuis Eccleſiis præeſſent, rationem habitam, ut retinendi in Eccleſiis Epiſcopi cum illis communione ſociarentur, ut diſertè notat Sozomenus: Τούτους γὰρ καὶ Βασιλεὺς ἐπῄνεσεν ἰδὼν συγγινόμενος, καὶ δόξα ἀγαθὴ περὶ αὐτοῖν ἐκράτει, ὡς τὰς Ἐκκλησίας εὐσεβῶς ἀγόντων. Id autem, ne longiùs rem iſtam trahamus, demonſtrat apertiſſimè ipſa lex Imperatorum à Socrate, & Sozomeno enarrata, quæ extat in l. 3. C. *Theod. de fide Catholica.* Unde petenda eſt negotij iſtius diſcuſſio: *Epiſcopis*, inquiunt Imperatores, *tradi omnes Eccleſias mox jubemus, qui unius Majeſtatis, atque virtutis Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum confitentur, ejuſdem gloriæ, claritatis unius, nihil diſſonum profana diviſione facientes: ſed Trinitatis ordinem, perſonarum adſertionem, & Divinitatis unitatem, Quos conſtabit communione Nectario Epiſcopo (Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, Timotheo necnon intra Ægyptum, Alexandrinæ urbis Epiſcopo eſſe ſociatos: quos etiam in Orientis partibus, Pelagio Epiſcopo Laodicenſi, & Diodoro Epiſcopo Tarſenſi; In Aſia necnon Proconſulari, at-*

Lex III. vetans Eccleſias tradi Epiſcopis qui Trinitatem non credunt, & cum aliis Epiſcopis hîc nominatis non communicant Cod. Theod.

que Aſiana Diœceſi, Amphilochio Epiſcopo Iconienſi, & Optimò Epiſcopo Antiocheno: In Pontica Diœceſi Helladio Epiſcopo Cæſarienſi, & Otreio Meliteno & Gregorio Epiſcopo Nyſſeno; Terennio Epiſcopo Scythiæ, Marmario Epiſcopo Marcianop. Communicare conſtiterit, hos ad obtinendas Eccleſias Catholicas ex communione, & conſortio probabilium Sacerdotum oportebit admitti. Omnes autem qui ab eorum quos commemoratio ſpecialis expreſſit, fide communionis diſſentiunt, ut manifeſtos hæreticos ab Eccleſiis expelli, neque his penitùs poſthac obtinendarum Eccleſiarum Pontificium facultatémque permitti, ut veræ ac Nicænæ fidei Sacerdotia caſta permaneant, nec poſt evidentem præcepti noſtri formam, malignæ locus detur aſtutiæ.

Porrò pars illa hujus legis luxata eſt quæ Terennij Scytiæ Epiſcopi, & Marmarij Marcianopoleos mentionem facit, & facilè reſtitui poteſt ex Sozomeno hoc modo: *In Thracia & Scythia Terentio Tomorum Epiſcopo, & Martyrio Epiſcopo Marcianopoleos.* Quæ reſtitutio neceſſaria, ut ſententiæ hiatus commodè ſarciatur. Etenim deſignato communionis conſortio cum Nectario in urbe Conſtantinopolitana, in Ægypto cum Timotheo Alexandrino; in Orientis Eccleſiis; in Aſiana & Pontica, ſupererat Thacica, cujus partem, & unam è ſex Provinciis obſervabamus eſſe Scythiam. Huic ergo Diœceſi proviſum eſt per conſortium Terentij Tomorum Epiſcopi in Scythia, & Martyrij Marcianopol. in reliqua Thracia.

Locus legis ex Sozomeno reſtituitur.

cia. Epiſcopus enim Tomorum omnibus Eccleſiis Scythiæ præerat, ut teſtatur ipſe Sozom. l. 7. c. 19. & 25. dum verba facit de Theotimo illius urbis Epiſcopo rerum mirabilium patratore, quem ideò Hunni Iſtrum accolentes Θεὸν Ῥωμαίων ὠνόμαζον. Theodor. l. 4. c. 30. meminit Bretannionis omnibus Scythiæ Eccleſiis præpoſiti πάσης τῆς Σκυθίας τὰς Πόλεις ἀρχιερατικῶς ἰθύνειν πεπιστευμένου. Martyrius autem ille Marcianopolitanus ſubſcripſit Concilio Conſtantinopolitano ut Epiſcopus Provinciæ Mœſiæ, quæ eſt Mœſia ſecunda, una è ſex Provinciis Thraciæ Diœceſeos. Unde conficitur error inſignis Socratis quem initio notavimus cùm Jura communionis per Thraciam decreta fuiſſe Nectario, à Synodo & Imperatoria conſtitutione affirmat; contra verò conſtet ex Sozomeno, & legis Theodoſianæ ſerie à nobis egregiè reſtituta, Jus communionis indultum Terentio Tomenſi & Martyrio Marcianopolitano per Thraciam & Scythiam. Nectario verò in urbe Conſtantinopolitana tantùm, quæ tamen non erat pars pœnitenda, ob regiæ urbis amplitudinem, & ferè omnium Epiſcoporum ad eam Civitatem frequentiſſimum commeatum.

Theotimus Tomorum Epiſcopus rerum mirabilium patrator.

Hallucinatio Socratis.

Ius communionis indultum Epiſcopo Conſtantinopolitano in urbe Conſtantinopolitana tantùm.

Ex ſuperioribus argumentis apertè deducitur, ſolam Honorariam Dignitatem dicto Canone III. conceſſam fuiſſe Epiſcopo Conſtantinopolitano, quæ tamen plenum legis Eccleſiaſticæ robur obtinuiſſe cenſenda non eſt, donec tandem à Romano Pontifice τὸ Κῦρος accepit. Etenim ab ini-

Honoraria dignitas illi tributa, ſed nondum auctoritate Roma-

ni Pontificis confirmata. tio neque Synodus ſecunda, nec Epiſcopi ſequenti anno Conſtantinopoli congregati Relationem, ut debuerant, ad Sedem Apoſtolicam ea de re miſerunt, licet in Synodica epiſtola ad Damaſum Papam de Nectarii, & Flaviani Antiocheni ordinationibus retulerint apud Theodoretum l: 5. c. 9. Equidem Leo Pontifex conqueſtus eſt Canonem illum Dignitatis Conſtantinopolitanæ aſſertorem ad Sedem Romanam non fuiſſe relatum, Tamen in Epiſtola Synodica Concilii Conſtantinopolitani Eccleſia Conſtantinopolitana inter inſigniores, quarum ordinationibus proviſum fuit à Synodo ideò recenſetur, ut detur locus eam Antiochenæ Eccleſiæ præferendi, imò novum illud jus ſatis inſinuatur cùm de novo ædificata eſſe dicitur Νεοπαγὴς Ἐκκλησία. Sed neque ipſi urbis Conſtantinopolitanæ Epiſcopi novum illud jus, quod ad Eccleſiæ univerſalis politiam aliquo modo pertinebat Epiſcopo Romano ſtatim approbaverunt. Ex quo nullam & caducam fuiſſe Canonis illius Conſtitutionem arguit Leo Papa ep. ad Anatolium Epiſcopum: *Perſuaſioni enim tuæ in nullo penitus ſuffragatur, quorumdam Epiſcoporum ante ſexaginta, ut jactas, annos facta ſubſcriptio, nunquamque à prædeceſſoribus tuis ad Apoſtolicæ Sedis tranſmiſſa notitiam, cui ab initio ſui caducæ, dudúmque collapſæ, ſera nunc & inutilia ſubjicere fulcimenta voluiſti eliciendo à fratribus ſpeciem conſenſionis, quam tibi in ſuam injuriam verecundia fatigata præberet.*

In Synodica Conc. Conſtantinopolitani ſatis inſinuatur nova dignitas Ep. Conſtantinopolitani.

Enimverò licet hæc ita ſe habeant, nihilominus certum eſt Conſtantinopolitaneos Epiſcopum ſtatim Dignitatis ſecundæ poſſeſſionem indeptum fuiſſe, eámque multis annis ſervaſſe donec ad Honorem facta eſt Auctoritatis adjectio. Neque longè petenda ſunt argumenta: Præſto enim nobis eſt lex illa III. Cod. Theod. de fide Cath. quam protulimus quæ Nectario quaſi poſſeſſionem novi Juris & Honoris tradit, & Timotheo Alexandrino Epiſcopo præponit. Eodem ordine venerabilium Eccleſiarum Conſtantinopolitanæ & Alexandrinæ meminit lex VI. C. Theodoſ. de Patrociniis vicorum lib. XI. Tit. XXIV. lata ab Honorio & Theodoſio. Synodus etiam Antiochena habita ſub Domno Patriarcha in cauſſa Athanaſii Perrheni Epiſcopi perpetuò Archiepiſcopum Conſtantinopolitaneos Proclum, Cyrillo Archiepiſcopo Alexandrino anteponit Act. XIV. Syn. Chalc.

Dignitatis poſſeſſio ſtatim indepta.

Patet ex le III. de fi. Ca. Theod. & VI. de Patr. vic. Et ex Syn. Antioch.

Sed ad probationem iſtam peremptoriè conficiendam elegans eſt locus petitus ex Act. I. Syn. Chalced. in qua dum releguntur Acta prædatoriæ Synodi Epheſinæ ſub Dioſcoro, quæ poſt Juvenalem Hieroſolymorũ & Domnum Antiochenum, Flavianum Conſtantinopol. collocabant, Orientales Epiſcopi exclamarunt inter cœtera Φλαβιανὸς ἐν τῷ ἰδίῳ τόπῳ διὰ τί οὐκ ἐκαθέσθη; τὸν Κωνσταντινουπόλεως Ἐπίσκοπον διὰ τί πέμπτον ἔταξαν; Πασχασῖνος εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος εἶπεν, ἴδε, ἡμεῖς Θεοῦ θέλοντος, Κύριον τὸν Ἀνατόλιον πρῶτον ἔχομεν. οὗτοι πέμπτον ἔταξαν τὸν

Ex Act. I. Syn. Chalced.

μακάριον Φλαβιανόν. Διογένης ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος Ἐκκλησίας Κυζίκου εἶπεν· ἐπειδὴ ὑμεῖς τοὺς Κανόνας οἴδατε. Flavianus quare in proprio loco non ſedit? Conſtantinopolitanum Epiſcopum quare quintum poſuerunt? Paſchaſinus Reverendiſſimus dixit. Ecce nos Deo volente Dominum Anatolium primum habemus: hi quintum poſuerunt beatum Flavianum. Diogenes reverendiſſimus Epiſcopus Cyrici Eccleſiæ dixit. Quoniam vos Regulas ſcitis. Quid illuſtrius afferri poteſt? Ecce Orientales Epiſcopi, quibus cara eſſe debuerat Antiochenæ Eccleſiæ dignitas, queruntur & vociferantur, cur Flavianus quinto loco ſederit; Paſchaſinus verò Legatus Rom. Pontificis huic juſtæ expoſtulationi veluti ſuccinens, Anatolium Conſtantinopolitanum proximo à ſe loco ſedere demonſtrat, ut Synodi Chalcedonenſis canonicum ordinem præ latrocinio Epheſino juſtitiámque commendet. Diogenes Cyzici, hoc tribuit Canonum auctoritati, quos Paſchaſinus ſequebatur, hac in parte non reclamante Paſchaſino. Itaque & Legatorum judicio & Synodi Chalcedonenſis approbatione in ipſa Concilij inchoatione, ſecundæ Sedis Honor delatus eſt Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano ex vi Canonum Eccleſiaſticorum. Quinimò ab ipſo Nectario Orientalium Eccleſiarum Principatum Sedi Conſtantinopolitanæ tribuunt Patres Chalcedonenſes in Proſphonetico ad Marcianum Imperator. τῶν δὲ, id eſt Orientalium Epiſcoporum, Νεκτάριος σὺν Γρηγορίῳ ἡγεμονίαν ἦρξε.

Ex Legatorum Roman. Pontificis judicio, & Syn. Chalced. approbatione.

Porrò nobis hoc gradu ſiſtendum non eſt, ſi Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ progreſſus à tempore ſecundæ Synodi ad quartam adnotare velimus. Neque enim aut rerum, aut Hiſtoriæ adeò ſum imperitus, quin perſpectæ mihi ſint continuæ & veluti quotidianæ Epiſcoporum Novæ Romæ & Regiæ Civitatis molitiones, ut ſe novæ Auctoritatis incrementis in dies augerent. Quod illis erat valde proclive Imperatorum aſſenſu & poteſtate nixis, tantæque urbis amplitudine & civium ſuorum, id eſt Illuſtriſſimorum Imperii Magiſtratuum, ſtudiis votíſque, & Aſianæ, Ponticæ, Thracicæ, aliarúmque Diœceſeon Epiſcoporum, gratiam ſecundi Epiſcopi Principibus ut plurimum cariſſimi captantium, vili adulatione ſuffultis. Quia ergo illis deerat Synodus Patriarchalis, in qua Metropolitarum Synodicæ relationes, aut Epiſcoporum querelæ tractarentur, deerat etiam Metropolitarum ordinatio, utríque capiti remedium quæſiverunt, ut quæ ſenſim & repetitis vicibus præter canonem ſub ſpecie majoris boni acta eſſent, ipſa tandem conſuetudine juvarentur, & in vim legis tranſirent. Quæ duo capita magnam inter ſe conſenſionem habent. Etenim Synodus Patriarchalis ex iis conflatur qui ordinationem ſuſcipiunt à Patriarcha, & vice verſa ij ſoli Metropolitæ ordinantur à Patriarchis qui ſunt ejus Synodo & juriſdictioni ſubjecti. Quod probatur egregiè præter cœtera teſtimonia quæ proferre poſſem ex No.137. Juſtiniani cap.4. Συνί-

Dignitati quæſita cō-ſuetudine auctoritas.

Syn. Patriarch. ab iis qui à Patr. ordinantur & vice verſa.

ναι παρὰ μὲν τοῖς μακαριωτάτοις Πατριάρχαις ἐκείνους τοὺς παρ' αὐτῶν μὲν χειροτονουμένους, μὴ ἔχοντας δὲ δίκαιον ἄλλους Ἐπισκόπους χειροτονεῖν. Et No. 123. c. 10. quas Photius Titulo 8. Nomoc. c. 8. his verbis explicat. Συνόδους τῶν Μητροπολιτῶν παρὰ τοῖς Πατριάρχαις, καὶ τῶν Ἐπισκόπων παρὰ τοῖς Μητροπολίταις, cogi & celebrari.

Locus Iuſtin. Novella reſtitutus.

Ex qua Photij interpretatione conficitur elegans reſtitutio in contextu Græco Juſtinianææ Novellæ deletâ particula negatiua, μὴ ut paraphraſticè enunciati ſint d. No. Metropolitani his verbis: *& ij qui à Patriarchis ordinati ſunt, & habent jus alios Epiſcopos ordinandi.* Alioqui retentâ negativâ dictione nullus erit ſenſus. Quid enim ſignificarint iſta *convenire tantùm Epiſcopos ordinatos à Patriarcha, quíque jus alios ordinandi non habeant?* ſunt nugæ. Porrò conventus iſte Metropolitanorum apud Patriarcham fiebat annua, bima, aut trima die. Cœterùm pro gravibus, & arduis negotiis ad Patriarchæ libitum cogebantur extra ordinem plenariæ quædam Diœceſeon Patriarchalium Synodi quibus intererant Metropolitani, & aliquot Epiſcopi à Provincialibus Synodis electi, ut patet ex Conciliorum actis.

Quo tempore Synodi Patriarchales.

De Synodis iſtis Patriarchalibus extat elegantiſſimus Canon in VIII. Synodo Oecumenica contra Photium Patriarcham Conſtantinopolitanum Can. XVII. in fragmentis quæ collecta ſunt à Laurentio Surio. *Hæc ſancta Synodus tam in ſeniori & Nova Roma, quàm in Sede Alexandriæ, Antio-*

chiæ, & Hieroſolymorum priſcam conſuetudinem decernit in omnibus conſervari, ita ut eorum Præſules univerſorum Metropolitanorum qui ab ipſis promoventur ſive per manus impoſitionem, ſive per Pallij dationem Epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiant, habeant poteſtatem videlicet ad convocandum eos urgente neceſſitate ad Synodalem conventum, vel etiam coërcendum illos, & corrigendum, cùm fama eos ſuper quibuſdam delictis forſam accuſaverit. Infrà. *Conſueverunt autem Metropolitani bis in anno Synodos facere, ideóque ſicut dicunt ad Patriarchale penitùs non poſſe concurrere caput. Sed ſancta hæc & univerſalis Synodus, nec Concilia quæ à Metropolis fiunt interdicens, multò magis illa novit rationabiliora eſſe ac utiliora Metropolitanorum Conciliis quæ à Patriarchali Sede congregantur, & idcircò fieri exigit. A Metropolita quippè unius Provinciæ efficitur, à Patriarcha verò ſæpè totius cauſſa Diœceſeos diſpenſatur, ac per hoc communis utilitas providetur. Propter quod, & ſpeciale propter generale bonum deſpici convenit cùm à majoribus ſuper hoc facta fuerit advocatio: quamvis apud quoſdam Metropolitanorum antiqua conſuetudo, & Canonica traditio per contemptum ipſorum poſtpoſita videatur, non currentibus eis ad communem profectum. Quos leges Eccleſiæ ſeverè condemnantes, omni excuſatione ſemotâ ſubjacere vocationibus proprij Patriarchæ, ſive cùm communiter, ſive cùm ſingulatim factæ fuerint, exigunt.*

Igitur quia jus nullum Synodi Patriarchalis

Digitized by Google

Epiſcopi ad aulam Imper. accedentes ſub ſpecie negotiorũ.

cogendæ Conſtantinopolitanis competebat, ut illius aliquo modo vices implerent, ingenioſo commento minutionem iſtam ſarciverunt. Quippè cum inſano quodam ſtudio ex omnibus orbis Romani Provinciis ſub ſpecie negotiorum Eccleſiaſticorum Epiſcopi ad aulam Imperatoris accederent, injuſtis & importunis ſæpè flagitationibus Magiſtratus, & ſeculares functiones charis ſuis ambientes, ut conqueritur Oſius in Synodo Sardicenſi Can. VII. fiebat, ut ſexaginta & ampliùs Epiſcopi primi & ſecundi gradus in urbe Conſtantinopolitana moram facerent, quibus in id more poſitum erat, ut Palatium Imperatorem ſalutaturi non ſingulatim, ſed ut corpus Epiſcoporum adirent, ut obſervat Sozom. l. 7. c.

Vt Corpus Epiſcoporum Imp. ſalutabãt.

6. τῶν Ἐνδημούντων Ἐπισκόπων τῆς Κωνσταντινουπόλεως παραγενομένων εἰς τὰ Βασίλεια, οἱ ἄγε εἰκὸς, ἀσπασόμενοι τὸν Κρατοῦντα. Si quod ergo dubium Canonicũ incideret, proculdubio ab illis conſulendus erat ſecundæ dignitatis Epiſcopus; qui porrò ne ſpretos haberet tot Epiſcopos in urbe commorantes eos in conſilium adhibebat, ut prudenti reſponſo ſecundum Canones propoſita quæſtio finiretur. Hic Conventus tot Epiſcoporum, cui præſideret Archiepiſcopus regiæ urbis, ſtatim adulatione fœdâ invitis Canonibus Synodi nomen ſortitus eſt, & quod ex occaſione introductum fuit ipſa conſuetudine Synodi Canonicæ robur contra Canones aſſumpſit.

Et Conſtantinopolitano auctoritatis adipiſcendæ, & cogendæ Synodi occaſionem dederunt.

Quod luculentiſſimè demonſtrat illuſtris locus

cus in Act. IV. Concil. Chalced. ubi querela Photij Epiſcopi Tyri, & Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Anatolio temerarius auſus retexitur. Obtinuerant Berytenſes ab Imperatore Theodoſio jus Metropoleos in Provincia Phœniciæ primæ ſex urbibus à jure Tyrenſis urbis, & Eccleſiæ reciſis, & Beryto adjudicatis. Reſcriptum Principis confirmavit Synodus habita Conſtantinopoli ſub Anatolio, depoſitionem comminata Photio, ni præberet aſſenſum novitati.

Vna ex his Synodis ſub Anatolio.

Et ne Maximi Antiocheni Patriarchæ, cui Phœnicia parebat, deeſſet auctoritas, licèt ille Epiſcopali conventui non intereſſet, quia tamen Conſtantinopoli degebat, ad eum eſt allata charta Synodica ſubſcripta ab Anatolio Archiepiſcopo, quem ſequens Domnus ſubſcripſit, ϗ τούτῳ ἀκολουθήσας καγώ, ὑπέγραψα. Subſcripſit & Photius, ſed coactus. ita ut poſteà duos Epiſcopos in diſtractis Urbibus ordinaret, quod factum à Synodo Conſtantinopolitana excommunicationem in Photium abſentem, & inauditum per centum & viginti duos dies provocavit. Integram hujus negotij diſcuſſionem Synodo Chalcedonenſi permiſit Imperator Marcianus.

Sed quoddam in ea D'cretum abrogatur à Chalcedon. Syn.

Quæ nulla principalis reſcripti, aut Synodicæ confirmationis ab Anatolio factæ ratione habitâ, Photio Tyrenſis Eccleſiæ Metropolitæ jus antiquum omnino reſtituit. Sed hîc eſt advertenda cognitorum Judicum interlocutio; *Dicat*, inquiunt, *ſancta Synodus, an Synodum appellare oporteat, Conventum Epiſcoporum*

qui in regia civitate diverſantur. Εἰ Σύνοδον χρὴ καλεῖν τῶν Ἐπιδημούντων τῇ Βασιλίδι πόλει συνέλευσιν. Tryphon Epiſcopus Chij reſpondit: *Synodus appellatur, & conveniunt, & laborantes aliqua oppreſſione ſua jura nanciſcuntur.* Σύνοδος καλεῖται. καὶ συνάγονται καὶ οἱ Καταπονούμενοι τῶν δικαίων ἀπολαύουσιν. Sed Anatolius ipſe cui præcipuè incumbebat, ut Judicibus & toti Concilio cauſſam ſuam approbaret, ait: *Tenuit pridem conſuetudo ut qui in magna hac civitate morantur ſanctiſſimi Epiſcopi, cùm eos temporis occaſio vocat, de emergentibus quibuſdam Eccleſiaſticis cauſſis conveniant ac ſingula definiant, reſponsóque eos dignentur qui precantur aliquid. Nihil ergo à me factum eſt quod Novitati ſit affine: nec ſanctiſſimi qui in civitate erant Epiſcopi, novam formam protulerunt, ac oſtendit præſentiam Epiſcoporum actio quæ facta eſt.* Συνήθεια ἄνωθεν κεκράτηκε τοὺς ἐνδημοῦντας τῇ μεγαλωνύμῳ πόλει ἁγιωτάτους Ἐπισκόπους, ἡνίκα καιρὸς καλέσοι περὶ ἀνακυπτόντων τινῶν Ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων, συνεῖναι, καὶ διατυποῦν ἕκαστα· καὶ ἀποκρίσεως ἀξιοῦν τοὺς δεομένους. οὐδὲν τοίνυν καινοτομίας παρ' ἐμοῦ ἐχόμενον γεγένηται, οὐδὲ συνεδρεύσαντες κατὰ τὸ σύνηθες οἱ ἐνδημοῦντες ἁγιώτατοι Ἐπίσκοποι καινὸν τύπον ἐξενηνόχασι, καὶ δεικνύουσι τὴν παρουσίαν τῶν Ἐπισκόπων ἡ γενομένη πρᾶξις. Hic gnaviter obſervatum velim, Anatolium non auſum aſſerere ſibi novam auctoritatem ex Canone III. Synodi Conſtantinopolitanæ, ſed tantùm ex conſuetudine: Etenim non modo Canon tertius, Synodi cogendæ in urbe Conſtantinopolitana jus non conſtituebat, quin

potiùs prohibebat Canone 11. cùm ex Synodi Nicænæ definitione omnes quæſtiones Canonicas Synodis Provinciæ committebat. Secundo loco notandum eſt nullam juriſdictionem Canonicam huic Synodo competiviſſe, ita ut actores ad tribunal ſuum cogeret, vetarétque alibi diſceptationem proponere, ſed tantùm prorogatâ conſentientium partium juriſdictione uſam, ut inſinuat Anatolius. Καὶ ἀποκρίσεως ἀξιοῦν τοὺς δεομένους. Tertio eſt obſervandum Synodum iſtam conſuetudine introductam non conſtare Epiſcopis evocatis per litteras tractorias è Provinciis, quale jus competit Metropolitanis Epiſcopis ex conciliis Antiocheno, Carthaginenſi, Chalcedonenſi aliiſque plurimis, ſed iis tantùm qui proùt res naſcerentur, Conſtantinopoli fortè fortuna reperirentur. Erant Ἐνδημοῦντες Epiſcopi, non verò συναθροισθέντες. Quare Synodus illa Conſtantinopolitana vocata fuit Ἐνδημοῦσα Σύνοδος, id eſt Epiſcoporum Ἐνδημούντων. *Synodus Ἐνδημοῦσα ſine juriſdictione, niſi ex partium conſenſu.*

Ejus rei exemplum illuſtre deſumitur ex Actis Synodi Conſtantinopolitanæ habitæ ſub Flaviano Archiepiſcopo Conſtantinopoleos adverſus Eutychetem *Archimandritam*, quæ referuntur Act. 1. Syn. Chalced. Ἐν τῇ φιλοχρίστῳ καὶ βασιλευούσῃ Κωνσταντινουπόλει νέᾳ Ῥώμῃ, συναχθείσης τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης Συνόδου, τῆς Ἐνδημούσης ἐν τῇ προειρημένῃ Μεγαλοπόλει, ἐν τοῖς σηκρήτοις τοῦ Ἐπισκοπείου προκαθεζομένου τοῦ ἁγιωτάτου καὶ ὁσιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου Φλαβιανοῦ. Ecce diſertè vocatur Synodus Ἐνδημοῦσα, id eſt Epiſcoporum in *Exēplum Syn. Ἐνδημούσης.*

Civitate morantium, paſſimque Patres illi in omnibus Actionibus ſe Ενδημούσῃ Συνόδῳ indigetant. Hinc eſt quod Eutyches ad minuendam Synodi ſub Flaviano auctoritatem, ait ſe ab Euſebio Epiſcopo Dorylæi hæreſeos accuſatum coram Flaviano, & aliis Epiſcopis, qui tunc *pro privatis cauſſis* in urbe degebant regia; in confeſſione fidei à ſe propoſita Epheſino Concilio ſub Dioſcoro, & relata in Act. 1. Concilij Chalcedonenſis, περὶ Ευσεβίου τοῦ Επισκόπου Δορυλαίου λιβέλλους ἐπιδόντος κατ' ἐμοῦ τῷ εὐλαβεστάτῳ Φλαβιανῷ, καὶ τοῖς ἐκ Διαφόρων ἰδίων ἕνεκα αἰτιῶν Ενδημοῦσί ποτε τῇ Βασιλευούσῃ.

Ius cognoſcendi de fide & relationibus Metropolitanorum uſurpatum à Conſtãtinopoleos Epiſcopis in Synod. Ενδημούσῃ.

Porrò Conſtantinopoleos Archiepiſcopi ſibi jus illud uſurparũt, ut in Synodo Ενδημούσῃ de fide, & relationibus Metropolitanorum cognoſcerent ſicut monebat Anatolius, & docent Acta dictæ Synodi ſub Flaviano, quæ non ſolùm hæreſeos damnavit Eutychetem, ídque Canonicè παρὰ τοῦ ἰδίου Επισκόπου, inquit Paſchaſinus in Damnatione Dioſcori: ſed & Florentij Epiſcopi Sardium Metropolis Provinciæ Lydiæ in Aſiana Diœceſi, relationi factæ contra Joannem, & Coſſinium Epiſcopos ſub ſe conſtitutos reſponſum dedit. Αναγινωσκομένης Αναφορᾶς σταλείσης παρὰ Φλωρεντίου Επισκόπου τῆς Σαρδιανῶν Μητροπόλεως τῆς ἐπαρχίας Λυδῶν, τύπου τε δοθέντος φανερὸν ἐπὶ τοῖς ἀναγνωσθεῖσιν.

Hinc illuſtranda eſt Anaſtaſij Nicæni Epiſcopi, adverſus Eunomium Nicomedienſem Flaviano Archiepiſcopo Conſtantinopoleos porrecta petitio ſuper ordinatione Epiſcopi Baſilinopoleos,

quam ſibi Nicænus ex antiqua conſuetudine contra jus Nicomedienſis Metropolitæ vindicabat. Ἐπέδωκα, inquit, λιβέλλους τῷ Ἀρχιεπισκόπῳ [illegible] ἀξιῶν αὐτὸν καλέσαι τὸν Κύριον Εὐνόμιον τὸν Ἐπίσκοπον, καὶ διακοῦσαι μεταξὺ τῶν δικαίων ἡμῶν· ſcilicet ut de jure partium cognoſceret in Synodo Endimouſa. Tamen Archiepiſcopus cognitionem iſtam, quia illi non incumbebat ex muneris neceſſitate, in ſe ſuſcipere noluit, ne juri Metropolitico præjudicium aliquod fieret. tantùm generaliter monuit, ut ſtarent antiquæ conſuetudini; ſubjicit enim Anaſtaſius δίδωσι γράμματα, ſcilicet Archiepiſcopus, καὶ πρὸς ἐμὲ καὶ πρὸς αὐτὸν, γράψας ἀμφοτέροις, ὅτι μηδεὶς ὑμῶν μηδὲν καινοτομείτω, ἀλλὰ στοιχεῖτε τοῖς ἀρχαίοις. Οἶδα γὰρ ἐγὼ, πῶς ὀφείλω τὰς Μητροπόλεις τιμᾶν.

Flavianus tamen noluit cognoſcere de jure quod illi non competebat.

Referrem etiam ad Synodi Ἐνδημούσης cognitionem Attici Epiſcopi Conſtantinopolitani literas ad Agapetum Synadorum Epiſcopum in Phrygia Pacatiana, niſi potiùs ex lectione Socratis l. 7. c. 3. conſtaret, eum interpretis, & pararij pacem conciliantis, non autem judicis egiſſe munus. Etenim cùm Theodoſius Orthodoxorum Epiſcopus Macedonianos hæreticos graviſſimis injuriis divexaſſet, ut ab illis contra jus fáſque pecunias emungeret, præcipuéque Agapetum hæreticorum Epiſcopum variis moleſtiis afflixiſſet, Conſtantinopolim tendit mandatum à Præfecto Prætorio impetraturus quo majori mole partes opprimeret. Interea Agapetus ad rectam

Conſtantinopolit. Archiepiſcopus, pararij munus agit non judicis in querela Theodoſ. contra Agapetum Synadorũ Epiſcopũ.

ſanámque de fide opinionem redit cum ſuo clero & populo, & dogma conſubſtantialis amplexus ad Eccleſiam Catholicam properat, & Sedem in qua Theodoſius conſidere conſueverat capeſſit, Eccleſiaſque Metropoli Synadenſi ſubjectas adminiſtrat. Redux Theodoſius cum mandato Præfecti, rerum geſtarum ignarus extemplò ad Eccleſiam pergit. Inde ab omnibus qui aderant expulſus, Conſtantinopolim de injuria conqueſturus regreditur, coram Attico ſe iniquè de Epiſcopatu deturbatum eſſe deplorat. Atticus mœrorem Theodoſij, verbis lenivit, ſuadétque ut genus vitæ quietum ſectetur, communémque utilitatem ſuis privatis commodis anteponat. Γράφει τε Ἀγαπητῷ ἔχειν τῆς Ἐπισκοπῆς μηδὲν ἐκ τῆς Θεοδοσίου λύπης ἀνιαρὸν ὑφορώμενον· ſcilicet perſuaſo Theodoſio, Agapeto nihil ab eo timendum denunciabat, non verò cognitionaliter inter eos de Epiſcopatu decernebat.

In quæſtionibus alienæ Diœceſis literis cōmendatitiis uſus eſt.

Cœterùm Archiepiſcopus Conſtantinopoleos cum Synodo, ſi alienæ Diœceſeos Alexandrinæ puta, vel Antiochenæ quæſtio proponeretur, abſente Diœceſeos Exarcho non de cauſſa cognoſcebat, ſed literis commendatitiis eum qui meliori jure niteretur, apud proprium Patriarcham fovebat. Quod egit Proclus per Synodicas ſuas literas ad Domnum Archiepiſcopum Antiochenum ſcriptas in cauſſa Athanaſij Perrhæ Epiſcopi à Clericis ſuis, ut jactabat, Eccleſia expulſi, rogans diſertis verbis Domnum, ut hujus nego-

 189

tij curam ſuſcipiat, litémque judicet ipſe; aut ſi *Perrhena* Eccleſia longè diſtet à civitate Antiochena, vicinioribus Epiſcopis audientiam committat, cùm Metropolita Provinciæ ob inimicitias ſuſpectus eſſet Athanaſio. Extat Synodicum Procli, & Cyrilli Alexandrini epiſtola in Actis Concilij Chalcedonenſis Act. 14. Ipſáque Synodus Antiochena à Domno coacta ad hujus cauſſæ diſcuſſionem. Τισὶ δὲ οἰκείων γραμμάτων ἐπιτρέψαι τὴν ἀκρόασιν. Cyr. in Epiſt. Τισὶ τῶν Αστυγειτόνων Επισκόπων ἀποδοῦναι τῆς ὑποθέσεως. Procl. in Syn.

Porrò conſuetudo illa, quàm Anatolius ad aſſerendam qualemcumque Synodi Ενδημούσης auctoritatem prætendit, à facto Joannis Chryſoſtomi manaſſe videtur; qui quidem à Synodo ad Quercum convocata ab Imperatore Theodoſio, & Præſidibus Theophilo Alexandrino, & Paullo Heracleæ Thraciæ Epiſcopo, celebrata damnatus: (Dignitate Patriarchatus Honorarij non tantùm Provinciæ Europæ ſive Heracleenſis, aut totius Thracicæ Diœceſeos, ſed etiam Ægyptiacæ, Anatolicæ, Aſianæ, & Ponticæ Epiſcoporum conventum de Principis mandato exigente.) cum juſſu Theodoſij ad ſedandum urbis tumultum à Preneto emporio è regione Nicomediæ ſito, revocatus fuiſſet, ſedem ſuam licèt invitus recepit, Decreto tamen ſexaginta quinque Epiſcoporum qui eo tempore Conſtantinopolim convenerant, in irritum miſſis quæ fue-

Conſuetudo auctoritatis Synod. Ενδημούσων unde petita.

rant acta ad Quercum. Συνεληλυθότων δὲ τότε ἐν Κωνσταντινουπόλει ἀμφὶ Ἑξήκοντα Ἐπισκόπων, ἀκοῦσαι τέ τὰ ἐν τῇ δρυῒ πεπραγμένα, καὶ αὐτὸν ἔχειν τὴν Ἐπισκοπὴν ψηφισαμένων διετέλεσεν ἱερώμενος, inquit Sozom. l. 8. c. 19. Epiſcoporum conventus iſte nullis litteris Theodoſij Principis eſt evocatus, ſed caſu accidit, ut Conſtantinopoli propter privata negotia eo tempore convenirent, & ad hanc ſententiam expendenda eſt dictio τότε apud Sozomenum.

Et earũdem origo. Inde, ut opinor, proficiſci potuit uſus & conſuetudo cogendorum ad Archiepiſcopi Synodum Epiſcoporum ex omnibus Provinciis, & Diœceſibus qui Conſtantinopolim undecumque appellerent. Adeò verò commoda viſa eſt iſtius generis Synodus, ut etiam poſt conſtitutam Patriarchæ Conſtantinopolitani juriſdictionem in Aſianam, Ponticam, & Thraciam à Concilio Chalcedonenſi, ſæpè de graviſſimis rebus unà cum Epiſcopis Conſtantinopoli commorantibus Archiepiſcopus diſceptarit. Cujus rei illuſtre nobis erit exemplum: Leonis Auguſti Epiſtola ad Anatolium Conſtantinopolitanum quærentis de Synodi Chalcedonenſis viribus & auctoritate, quænam eſſet omnium Epiſcoporum Chriſtiani orbis ſententia, ut his veluti de novo elicitis ſuffragiis exortas Alexandriæ ſeditiones componeret: Scribit ergo: *Tua ſiquidem reverentia omnes Orthodoxos Epiſcopos, qui in præſenti in hac urbe regia commorantur, necnon & reverendiſſimos Clericos ad ſe repentè faciat convenire, & diligenter*

diligenter omnia pertractantes atque diſcutientes, de prædicto Timotheo & Chalcedonenſi Concilio, quid in commune ſapitis, cum omni celeritate meam facite cognoſcere pietatem. Eodem ſenſu ſcriptæ ſunt litteræ ad Leonem Romanum Pontificem, Baſilium Antiochenum, Juvenalem Hieroſolymorum, & ad Metropolitanos Epiſcopos in tertia parte Concilij Chalcedonenſis.

Reſtat de Metropolitarum ordinatione tractatio; quam breviter finiemus, ſi priùs adnotaverimus, Parœciarum Epiſcopalium, & Provinciarum diviſiones jam ab ipſis Apoſtolis conſtitutas fuiſſe, cùm juxtà præceptum B. Pauli Apoſtoli ad Timotheum Epiſcopi κατὰ πόλιν crearentur. Unde ſemper anxiè vetita fuit alienæ Eccleſiæ & Provinciæ adminiſtratio quam latrocinium, & invaſionem veteres appellant, niſi cogente neceſſitate, aut publica utilitate ſuadente id factum foret; quod accidit ſæpiſſimè turbulentis Eccleſiæ temporibus, & ſæviente undequaque perſecutionis procella διωχθείσης τῆς καθόλου Ἐκκλησίας πολλάκις συνέβη, inquit Sozom. l. 7. c. 9. Adeò ut ad fines Eccleſiaſticos legitimè regendos Canonicâ, & Synodali auctoritate tandẽ indiguerit Eccleſia. Itaque & Can. VI. Nicęno, & Can. II. Conſtantinop. Can. VII. Epheſino, Can. V. & XX. Chalced. Can. XIII. & XXII. Antioch. aliíſque plurimis vetita eſt graviſſimis verbis in extraneis Provinciis Ordinatio, & reliqua omnis adminiſtratio, ἵνα μὴ τῶν πατέρων Κανόνες παραβαίνωνται, μηδὲ ἐν ἱερουργίας προσχήματι

Parœciarum Epiſcopalium, & Provinciarũ diviſiones ab Apoſtolis.

Canonibus Conc. confirmatæ.

ἐξουσίας Τῦφος Κοσμικῆς παρεισδύηται, μηδὲ λάθωμεν τὴν ἐλευθερίαν κατὰ μικρὸν ἀπολέσαντες, ἣν ἡμῖν ἐδωρήσατο τῷ ἰδίῳ αἵματι ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ πάντων ἀνθρώπων ἐλευθερωτής, inquit Epheſinus Canon VII.

Id ſolùm reliqui fecit Canon II. Synodi Conſtantinopolitanæ, ut alienæ Diœceſis Epiſcopus vocatus à Provincialibus Epiſcopis, Ordinationibus cœteríſque negotiis Eccleſiaſticis extraneæ Provinciæ intereſſe poſſet his verbis prohibitoriis: Ἀκλήτους δὲ Ἐπισκόπους ὑπὲρ διοίκησιν μὴ ἐπιβαίνειν ἐπὶ χειροτονίᾳ ἢ τισιν ἄλλαις οἰκονομίαις. Id eſt ex interpretatione Zonaræ, ne extra Diœceſim ſuam, & ditionis ſuæ terminos accedant Epiſcopi cujuſlibet ſacræ functionis exercendæ gratia, niſi plurium Epiſcoporum ex Apoſtolici Canonis Decreto ſuaſu atque hortatu. Quod ait ille de Canone Apoſtolico refertur ad Canonem XIV. & XXXV. Apoſtolorum qui prohibent, ne quis Epiſcopus in alienam Provinciam inſiliat, niſi eum cauſſa rationabilis urgeat, & hoc non ex ſeipſo ἀλλὰ κρίσει πολλῶν Ἐπισκόπων καὶ παρακλήσει μεγίστῃ. Et ſanè Patres Conſtantinopol. hac in parte Canonis illius Apoſtolici rationem habuerunt, & Nicænæ definitionis, ut ipſimet teſtantur in Synodica epiſtola ad Damaſum & Synodum Romanam apud Theodor. l. 5. c. 9. *De adminiſtrationibus*, inquiunt, *quæ ſunt cujuſque Eccleſiæ propriæ cùm vetus uti noſtis lex eſt* παλαιός τε, ὡς ἴστε, θεσμὸς κεκράτηκε· *tum Sanctorum Patrum in Niceno Concilio deciſio*: ut videlicet *ſingularum Provinciarum an-*

tiſtites unà cum finitimis, modo ipſis ita viſum fuerit Epiſcopis, miniſtros ad ipſarum commodum in ſuis ipſorum Provinciis ordinent, τοὺς τῆς ἐπαρχίας καὶ εἴπερ ἐκεῖνοι βούλοιντο, σὺν αὐτοῖς τοὺς ὁμόρους πρὸς τὸ συμφέρον ποιεῖσθαι τὰς χειροτονίας. Ubi facultas illa vocandorum confinium Epiſcoporum referri debet non ad Canonem Nicænum qui nullam juris illius mentionem facit, ſed ad veterem legem, quam non ineleganter cum definitione Nicæna conjunxerunt. Quæ vetus lex alia cenſenda nôn eſt quam Canon Apoſtolorum XIV. & XXXV. ut vel hinc Canonum illorum ſaltem primorum antiquitas comprobari poſſit. Sancita eſt etiam exceptio illa rogandorum confinium Epiſcoporum Can. XIII. & XXII. Synodi Antiochenæ quam interpellationem ex ſcripto fieri debere monet his verbis: Εἰ μὴ παρακληθεὶς ἀφίκοιτο διὰ γραμμάτων τοῦ-τε Μητροπολίτου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ Ἐπισκόπων.

Lex cum Nicæna definitione conjuncta.

Antiquitas Can. Apoſtolorum.

Quid egit ergo Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus ut ad ſe Thraciæ, Ponticæ, & Aſianæ ordinationes traheret? nempè fretus Sedis ſuæ ſplendore & nova dignitate illi à Patribus conceſſa, ſe Metropoliticis ordinationibus immiſcuit, vocatus à Provincialibus Epiſcopis, & rogatus ſubſpecie coërcendi ambitus, pecuniariæ nundinationis avertendæ, & ſeditionum, quæ in civitatibus emergebant, auctoritate ſua ſedandarum; & ita quód per modum exceptionis ſtatutum fuerat in apertum jus vertit. Alioqui ſi callida iſta Canonis interpretatio non recipiatur,

Conſtantinopolit. Epiſcop. rogatus ſe Metropoliticis ordinationibus immiſcuit, & exceptionem in jus vertit.

quonam commento tueri potuiſſent Epiſcopi Conſtantinopoleos, quod ab ipſis tentatum fuerat in Aſianæ Diœceſeos ordinationibus, non ſolùm Metropolitarum, ſed etiam ſecundi gradus Epiſcoporum. quas ipſe Archidiaconus Aëtius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ aſſerere non eſt auſus in Concilio Chalcedonenſi. Etſi Philippus Preſbyter Conſtantinopolitanus quindecim Epiſcoporum ordinationes, imò & depoſitiones in Aſia à Joanne Chryſoſtomo factas ad probationem juris ſui profert Act. xii. Concilij Chacedonenſis; Ὁ ἐν ἁγίοις Ἰωάννης Ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως Δεκαπέντε Ἐπισκόπους καθεῖλεν ἀπελθὼν ἐν Ἀσίᾳ καὶ ἐχειροτόνησεν ἄλλους ἀντ᾽ αὐτῶν. Confirmant rei geſtæ veritatem Socrates l. 6. c. 10. Sozom. l. 8. c. 6. Palladius, Georgius Alexandrinus, & cæteri qui Chryſoſtomi res attingerunt. Sed obſervandum eſt negotium iſtud reprehenſione non caruiſſe, imò & ab Iſaacio Epiſcopo inter accuſationis contra Joannem delatæ elogia, in Synodo ad Quercum propoſitum fuiſſe. Etenim accuſatorio ſuo libello decem & octo capita comprehendit, quorum decimo Joannes accuſatur aliorum invaſiſſe Provincias, ibidémque Epiſcopos ordinaſſe. Δέκατον, ὅτι ἐπιβαίνει ἀλλοτρίαις ἐπαρχίαις, καὶ Χειροτονεῖ Ἐπισκόπους apud Photium in Bibliotheca, Tmemate 59.

Ordinationes & depoſitiones ab eo factæ in alienis Provinciis.

Ob eas accuſatus.

His ſimilia ſcribit Sozom. l. 8. c. 6. Ἐπηλιάζοντο Ἰωάννῃ, ὡς ἀρχηγὸς νεωτερισμοῦ ταῖς ἐκκλησίαις ἐγένετο, καὶ τὰ δίκαια τῶν Χειροτονιῶν παρὰ τοὺς πατρίους νόμους

ἐχειροτόνησεν. Quæ verba valdè urgent ad ſententiæ noſtræ probationem. Neque enim adeò inſipidus fuiſſet Iſaacius Epiſcopus, & tantæ accuſationis conſultores adeò hebetes, ut ordinationes in alienis Provinciis, id eſt Aſiana & Pontica crimini verterent, ſi Joannes id ex muneris Epiſcopalis neceſſitate, & Sedis ſuæ jure peregiſſet. Sed quia omnis adminiſtratio Eccleſiaſtica concredita fuerat Provinciarum Synodis, in Aſiana Diœceſi, contra Canones manifeſtè peccaſſe videbatur, dum ſe Aſianæ Synodo in urbe Epheſina coactæ ad Epheſini Epiſcopi ordinationem immiſcuit. Etenim hæc ordinatio fieri debebat ab Aſiana Synodo, ut monet Julianus Epiſcopus Coënſium Sedis Apoſtolicæ Vicarius in Concilio Chalced. Act. XII. Ἡ Σύνοδος ἡ Ἀσιανὴ ἐπιλέξεται, aut ſaltem à Provincialibus Epiſcopis.

Quod hoc jus illi non competeret.

Sed Aſiana Synodo.

Quid ergo? damnabimus temeritatis eum virum, quem Romanus Pontifex & Catholica Eccleſia damnatum fuiſſe à Theophilo Alexandrino, & à Synodo Conſtantinopoli coacta ab Arcadio conqueſta eſt, & in diptycha referri invitis licèt adverſariis conſtantiſſimè pervicit. Minimè. Sed hujus facti ratio nobis conſtabit, ſi advertamus Aſianarum Eccleſiarum diſciplinam, ita labefactatam fuiſſe ut Sacerdotia penè ſub haſta, & licitationis calore deploratis viris addicerentur. Quo nomine reus delatus fuerat Antoninus Epiſcopus Epheſi, ſed tergiverſante accuſa-

tore, & variis calumniis & ludificationibus dilato judicio, pendente reatu fato functus eſt Antoninus: ſtatimque aut Provincialis Synodus, aut Aſianæ Diœceſis convenit Epheſum ad ſucceſſoris ordinationem, quæ ſtudio partium ſciſſa in acres contentiones & tumultus erumpebat, niſi Joannis illuc adventantis auctoritate, & prudentiâ omnium animi compoſiti fuiſſent ad modeſtiam, permiſſúmque illi fuiſſet de communi ſententia Heraclidem Cyprium, Diaconum ſuum illius Sedis Epiſcopum inſtituere, ut notant Socrates, Palladius, Sozomenus, Georgius Alexandrinus, & reliqui ſcriptores qui res Chryſoſtomi deſcripſerunt, præcipuéque Socrates l. 6. c. 10. gravium illarum & acerbarum contentionum meminit. Aut ergo in diſſidio illo Provincialium Epiſcoporum rogatus, & vocatus ab omnibus, aut à prudentioribus advenit ſecundum Canones, aut ipſe ſua ſponte, & publica tantæ Eccleſiæ neceſſitate ſuadente, Epheſum properavit ad tumultus avertendos, & Epiſcopatus illius timendam nundinationem: quæ publica neceſſitas, Synodicæ vocationis & petitionis vicem implebat; íſque color tandem efficit, ut in cæteris etiam Metropolitanis Sedibus Aſianæ, Thracicæ, & Ponticæ ordinandis locum ſuum obtineret Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, ut prudentiſſimè obſervant Patres Chalcedonenſes in Synodica ad Leonem Papam. Etſi ergo in Canones incidiſſe videatur Joannes, & in Pro-

Cur in alienis Provinciis ordinaverit.

vincias extraneas inſiluiſſe, tamen viam patefecimus, qua legitimè in civitatem Epheſinam progredi, & utiliſſimè ſe negotio ordinationis præſentem exhibere debuerit.

Privilegio honoris præfuit in alienis Diœceſibus.

Porro quia privilegia honoris illi tributa erant poſt Romanum Epiſcopum in Ægyptiaca, Anatolica, Pontica, Thracica & Aſiana Diœceſibus, non mirum eſt, ſi huic Aſianæ Synodo præfuerit ut Archiepiſcopus, & Exarchus Honorarius, & eo nomine Heraclidem Epiſcopum ordinarit; imò & de Synodi illius Epheſinæ ſententia Epiſcopos illos Tredecim in Aſia exauctorarit, ſuiſque legibus, & inſtitutis Provincias omnes vicinas exornarit. ut docet Theodoretus lib. 5. c. 28. In Pontica verò Diœceſi Gerontium Nicomedienſem expulerit, & illi Panſophium reclamante civitate ſubſtituerit apud Sozomenum l. 8. c. 6. quam exauctorationem anteà quidem rogatus ab Ambroſio Mediolanenſi acriter tentaverat Nectarius. ſed fruſtrà renitentibus Nicomedienſibus. Hîc monendus eſt lector ne ſe tranſverſum agi patiatur à Chriſtophorſono, qui apud Sozomenum rogatum interpretatur ab Ambroſio Nectarium, ut Gerontium Epiſcopatu privaret, quaſi jus dejiciendi ad illū pertineret; quin potiùs Helladio Cæſareæ Epiſcopo qui Gerontium ordinaverat, & Ponticæ Synodo non competeret, Verba ergo Sozomeni ita vertenda ſunt: Ἔγραψε Νεκταρίῳ ἀφελέσθαι Γεροντίου τὴν ἱερωσύνην. *Scripſit Nectario, ut Gerontio Sacerdotium auferretur*, id eſt

Et de earum Sententia aliquam juriſdictionem exercuit.

Sozom. interpretatus de cura Epiſco-

pi Conſtā-tinopol.& non de jure.

ut Nectarius à Pontica Synodo deponendum ſatageret. Hoc ad Epiſcopalem ſollicitudinem, & piam vicinarum Eccleſiarum curam pertinet. Indicere verò privationem, ad jus, auctoritatem & juriſdictionem Patriarchalem, quæ ut aberat à Nectario, ita ad eum non ſcripſit Ambroſius ut Gerontium abdicaret Epiſcopatu, ſed ut Gerontio auferretur.

Cœterùm quod in Thracia Joannes Serapionem Heracleæ Epiſcopum inſtituit, καὶ Χειροτονεῖ Σεραπίωνα τῆς ἐν Θρᾴκῃ Ηρακλείας Επίσκοπον apud Socratem l. 6. c. 15. & Sozom. l. 8. c. 19. minoris eſt negotij, quia ſcilicet cùm Epiſcopus Conſtantinopolitanus eſſet unus è Provincialibus Provinciæ Heracleenſis, ſive malis Europæ & Boſphori Epiſcopis, juxta Canones, & intereſſe huic ordinationi, & ex præſcripto Canonis Conſtantinopol. præeſſe debebat. Sed ut monuimus ſupra, etſi aliquantum de priſtina dignitate Metropolitanus Heracleæ remiſiſſet, tamen jus auctoritatémque Metropolitæ in ipſa Chryſoſtomi depoſitione in Synodo ad Quercum exercuit, ut docent Acta Synodi apud Photium Tmemate 59. ita ut πρῶτος Συνόδου appelletur: licet Theophilo Alexandrino ex aliena Diœceſi ad hanc cauſſam ab Imperatore evocato προεδρεία ſine dubio conſervata eſſet.

Qui cum præeſſet Provinciæ Heracleenſi ordinavit Serapionem.

Sed quia tot tantáſque turbas exciverat pius alioqui Joannis Chryſoſtomi Nectario ſuffecti conatus, dum criminis alienarum Provinciarum

contra

contra mores antiquos invaſarum in Synodo ad Quercum inſimulatur, ſucceſſoribus Epiſcopis cautiùs, & tutiùs eſſe viſum fuit, ſi ad amoliendam tot Epiſcoporum Provincialium invidiam ſe Principum auctoritate munirent. Itaque Atticus Archiepiſcopus à Theodoſio juniore reſcriptum elicuit, quo privilegium à Synodo Conſtantinopolitana irrogatum confirmaretur, imò etiam reſcripti verbis contra mentem & ſententiam Canonum amplificaretur. Decrevit enim Theodoſius ut Metropolitani ab Epiſcopo Conſtantinopoleos ordinarentur, & Illyriciani Epiſcopi ad eum de rebus dubiis referrent. Priorem legem recenſet Socrates l. 7. c. 28. dum refert à Siſinnio Conſtantinopoleos Archiepiſcopo Proclum deſignatũ fuiſſe Cyzici Helleſpontiacæ Provinciæ Metropoleos Epiſcopum; eúmque ad eam urbem profecturum anteverſum à Cyzicenis qui Dalmatium Monachum ſibi Epiſcopum ordinarunt. Hoc ab illis factum eſt, inquit Socrates, *neglectâ illâ lege, quæ jubet, ne quis Epiſcopus deſignetur abſque ſententia & auctoritate Epiſcopi Conſtantinopoleos.* Ἀμελήσαντες τοῦ νόμου τοῦ κελεύοντος παρὰ γνώμην τοῦ Ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, χειροτονίαν Ἐπισκόπου μὴ γίνεσθαι· ἠμέλησαν δὲ τοῦ νόμου τούτου, ὡς Ἀττικῷ μόνῳ εἰς πρόσωπον παραχθέντος· ἔμενεν οὖν ὁ Πρόκλος οἰκείας μὲν Ἐκκλησίας, μὴ προεστὼς, ἐν δὲ ταῖς Ἐκκλησίαις, τῆς Κωνσταντινουπόλεως κατὰ τὰς διδασκαλίας ἀνθῶν.

Privilegium à Syn. Conſtantinopolitana, illi conceſſum, reſcripto Principis confirmatur & augetur.

In hac narratione ſunt adnotanda tria. Pri-

mum eſt Siſinnium niſum fuiſſe tantùm lege Theodoſij, non Canone Conſtantinopolitano, aut conſuetudine quæ nondum plenè invaluerat. Secundum eſt, neglectam fuiſſe à Cyzicenis legem illam, eo prætextu quod ſolam Attici Archiepiſcopi perſonam reſpiceret, neque perpetuam Sedi Conſtantinopolitanæ prærogativam indulgeret. Atqui ſi lex illa data eſſet ad Canonis Conſtantinopolitani executionem, neque Cyzicenorum contemptui patuiſſet, qui debitam Canonibus reverentiam ſaltem ab Epiſcopis Provincialibus moniti impenderent; neque potuiſſet exceptione illa eludi, quòd perſonale reſcriptum eſſet, cùm ſententia Canonis perpetuum jus Sedi Conſtantinopolitanæ tribuerit; quod vel hinc conſtat tantùm fuiſſe Honorarium. Tertio loco obſervandum eſt, etſi prior ordinatus fuiſſet Proclus à Siſinnio, Cyzicenorum tamen interceſſionem, & Dalmatij poſteriorem ordinationem invaluiſſe; ex quo demonſtratur apertiſſimè auctoritatem Epiſcopi Conſtantinopol. in ordinationibus Metropolitanorum nonniſi precariam fuiſſe, & tacito conſenſu à conſentientibus prorogatam. Alioqui Siſinnius tantam injuriam ſeveriſſimè ultus fuiſſet tum adverſus Dalmatium Cyziceni Sacerdotij invaſorem convocatâ Synodo, ut hoc caſu fieri debere monet Canon XVIII. Synodi Antiochenæ, tum adverſus Cyzicenos ipſos læſi Principis motu, & imperio fretus.

Precariã fuiſſe illius auctoritatem in ordinationibus oſtẽditur.

Altera Theodoſiana lex quæ de Illyricianæ Diœceſeos Epiſcopis ſtatuit, relata eſt tum in Codice Theodoſiano l. 45. Tit. 16. de Epiſcopis, tum apud Juſtinian. l. 6. C. de Sacroſanctis Eccleſiis, cujus ſunt hæc verba: *Omni innovatione ceſſante vetuſtatem, & Canones priſtinos Eccleſiaſticos qui uſque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici Provincias ſervari præcipimus, ut ſi quid dubietatis emerſerit, id oporteat (non abſque ſcientia viri reverendiſſimi ſacroſanctæ legis Antiſtitis urbis Conſtantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur) conventui Sacerdotali ſanctóque judicio reſervari.* Hanc legem quia ad noſtram Spartam pertinet, & malè ab Illuſtriſſimo Cardinale Peronio enarrata eſt, & à Photio Patriarcha Conſtantinopolitano in alienum ſenſum detorta, juxta mentem Theodoſij παραφραστικῶς interpretabor. Neque enim placet quod ex conjectura ſcribit eruditiſſimus Cardinalis, ſubreptum fuiſſe religioni Theodoſij ab Attico, dum illi inſinuat recuſationem Illyricianorum Epiſcoporum ſubmittere illi ſe ut Patriarchæ nolentium, ab Arſacio deceſſore ſuo initium ſumpſiſſe, quam lex innovationem appellat; Minùs verò placet cùm priſtinorum Canonum, & vetuſtatis nomine, Canonem III. Conſtantinopolit. intelligit, Privilegium Sedi Cóſtantinopolitanæ irrogantem. Nam genuinus & verus legis illius ſenſus hic eſt: ut antiqui mores, & Canones Eccleſiaſtici vim ſuam obtineant, etiam in Provinciis Illyrici, ut in cœ-

In dubiis quoddam jus in Illyrici Provincias illi conceditur lege Theod.

Genuinus legis ſenſus.

teris reliquarum Diœceſeon Provinciis; ita ut ſi quid innovatum fuerit contra Canones aut principalibus reſcriptis, aut Præfectorianæ Sedis mandatis, omni careat effectu. Hæc eſt prior legis Theodoſianæ pars, quæ jubet in univerſum ut ſua Canonibus, & moribus antiquis conſtet auctoritas, etiam in Provinciis Illirici ubi aliquid contra fuerat innovatum. Et planè ſententia illa reſpondet effato Concilij Nicæni, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, & Novellæ 131. Τάξιν νόμων ἐπέχειν τοὺς ἁγίους Ἐκκλησιαστικοὺς Κανόνας. Addit in ſequenti parte legis, ût ſi quid dubietatis emerſerit, id conventui Sacerdotali reſervetur. Ubi latet leve mendum quod dominum Perronium præcipitem egit, caſtigaríque poteſt è Codice Theodoſiano qui legem illam exhibet, ſubſtituto in locum particulæ *ut*, adverbio *tum*, cum præcedenti commate, ita ut è lectione Codicis Theodoſiani ultima verba non ſint conjungenda, & in unam ſententiam cogenda cum priore. contra quam lectio Codicis Juſtiniani præferat. Deleto ergo τῷ *ut*, & ſubſtituta dictione *tum*, hic erit germanus ſenſus edicti. Tum (id eſt ſtabilitâ in univerſum Canonum ſacrâ auctoritate) ſi quid dubietatis emerſerit in illorum interpretatione & executione, id oportet committi non Magiſtratuum, & judiciorum diſcuſſioni, aut Præfecti auditorio, ſed conventui Sacerdotali, & Synodis Epiſcoporum cujuſque Provinciæ, aut etiam Illyricianæ Diœceſeos. Mens ergo primaria hæc

Locus legis caſtigatus.

eſt, ut Canonicas quæſtiones à publicorum judiciorum, & ipſius Præfecti Prætorio cognitione ſubmoveat (quod patet ex ipſa legis inſcriptione, quæ ad Philippum Præfectum Prætorio Illyrici dirigitur) & Synodis Epiſcoporum committat. Quod rectiſſimè congruit cum lege altera relata in Codice Theodoſiano eodem titulo lib. 23. *Qui mos eſt cauſarum civilium, iidem in negotiis Eccleſiaſticis obtinendi ſunt, ut ſi qua ſunt ex quibuſdam diſſenſionibus levibuſque delictis ad religionis obſervantiam pertinentia, locis ſuis, & à ſuæ Diœceſeos Synodis audiantur: exceptis quæ actio criminalis ab ordinariis extraordinariiſque judicibus, aut illuſtribus poteſtatibus audienda conſtituit.* Unde colligi poteſt, ut hoc etiam per tranſennam adnotetur, parem ex hac lege tributam Diœceſeon Synodis auctoritatem in rebus Eccleſiaſticis, Vicariorum juriſdictioni in rebus civilibus. quod infrà copioſiùs oſtendetur cùm tractabitur de jure appellationum. Interim ſufficit obſervaſſe Canonicas quæſtiones Diœceſeos cujuſque Synodis fuiſſe reſervatas à Valente, Gratiano & Valentiniano, quod ſpecialiter poſteà obſervandum decernunt in Provinciis Illyrici Honorius & Theodoſius. Ex iis quæ diſſeruimus conſtat evidenter non fuiſſe decretam nominatim Canonum Conſtantinopolitanorum confirmationem, neque vetuſtatis nomine, & priſtinorum Canonum in dicta lege commemoratorum inſinuatum fuiſſe Novæ Romæ Patriarcha-

His legibus Canonicæ quæſtiones à publicorũ Iudicum cognitione ſubmotæ, & Synodis Epiſcoporum commiſſæ.

tum, ut perperam exiſtimavit Cardinalis Perronius.

Supereſt tamen diſcutiendus ille nodus, qui proficiſcitur ab illa exceptione quâ poteſtas, & cognitio Illyricianæ Synodi reſtringitur. & quaſi aliud agendo Sedis Conſtantinopolitanæ auctoritas augetur. Statuit enim Theodoſius ita reſervandas cognitiones Canonicas Conciliis Illyriacianis, ut nihil definiatur abſque ſcientia Conſtantinopolitani Epiſcopi, quia veteris Romæ prærogativâ urbs Conſtantinopolitana lætatur. Hoc loco fateor alluſum fuiſſe ad Canonem III. Syn. CL. Patrum, eorúmque Decretum, amplificatum fuiſſe hac lege in gratiam Epiſcopi Conſtantinopolitani. Etenim juriſdictionem illius tacitè propagare conatur in Orientale Illyricum, eâ ratione quòd Nova Roma iiſdem fruatur privilegiis cum vetere; adeóque, cùm Illyriciani Epiſcopi ſubeſſent Patriarchatui Romano, regerentúrque à Pontificis Maximi Vicario Theſſalonicenſi Epiſcopo, non abſurdum eſſe videbatur, ſi Conſtantinopolitanus Epiſcopus in eam partem ſollicitudinis vocaretur, vicéſque Romani Epiſcopi obtineret in iis Provinciis quæ propiùs abeſſent ab urbe Regia, Vicariáque poteſtate uteretur ad exemplum Theſſalonicenſis Epiſcopi, cùm Nova Roma iiſdem privilegiis cum veteri frueretur. Sed reſcriptum Imperatoris caruit effectu, ut oſtendam poſtquam Photij hallucinationem indicavero.

Lex caruit effectu.

 197

Is ergo ita ſententiam legis capit, ac ſi juſſiſſet Theodoſius quæſtiones Canonicas motas in Illyrico definiendas eſſe ab Archiepiſcopo Conſtantinopoleos & ejus Synodo. Ὅτι τὰς ἀναφυομένας Κανονικὰς ἀμφισβητήσεις ἐν ὅλῳ τῷ Ἰλλυρικῷ οὐ δεῖ τέμνεσθαι παρὰ γνώμην τοῦ Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως καὶ τῆς αὐτοῦ Συνόδου, ἥτις ἔχει τὰ πρεσβεῖα τῆς ἀρχαίας Ῥώμης. Quod alienum eſt à mente Theodoſij, qui definitiones iſtas Synodis Provinciarum, imò & Synodo univerſali Diœceſeos Illyricianæ attribuit, non verò Synodo Conſtantinopolitanæ, ſive τῇ Ἐνδημούσῃ. Quæſtiones enim iſtæ locis ſuis, & à ſuæ Diœceſeos Synodis audiri debent, inquiunt Valens, Gratianus, & Valentinianus d. l. 23. C. Theod. Idque diſertis verbis ſtatutum eſt Canone VI. Concilij Conſtantinopolitani quo decernitur, ut Provinciales Epiſcopi primum cognoſcant; Et ſi illi tantæ cognitioni pares eſſe non poſſint, tunc accedatur ad majorem Synodum Epiſcoporum illius Diœceſeos, qui hac de cauſſa eonvocati fuerint, τότε αὐτοὺς προσιέναι Μείζονι Συνόδῳ τῶν τῆς Διοικήσεως Ἐπισκόπων ἐκείνης, ὑπὲρ τῆς αἰτίας ταύτης συγκαλουμένων. Ubi Zonaras exempli cauſſa *Thraciam*, inquit, *vel Macedoniam Diœceſeos appellatione complectimur*, Macedoniæ nomine ubi ſedes erat Illyricianæ Præfecturæ, Illyricum Orientale ſignificans. Cœterùm lex iſta Theodoſij nullum effectum eſt ſortita, etenim Illyricum per quadringentos annos à promulgatione illius legis Patriarchatui Ro-

Photij hallucinatio in interpretatione legis.

mano, & Sedis Apoſtolicæ Vicario Epiſcopo Theſſalonicenſi paruit, donec per vim ab Occidentali tractu diſcerptum eſt circa tempora Leonis Philoſophi, prætextu fortaſsè ſumpto ab iſta lege Theodoſij, ut infra demonſtrabitur exercitatione ſequenti. Quinimò Clerici Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ne verbum quidem hac de re fecerunt in Synodo Chalcedonenſi, cùm adeò validis clamoribus privilegia Sedis Conſtantinopolitanæ aſſertum & amplificatum irent, neque jus aliquod in Provincias Illyrici Canone XXVIII. obtinuerunt, ſed tantùm in Thraciam, Ponticam & Aſianam. Mirandum tamen eſſet cur ſaltem legis alterius à Socrate relatæ non meminiſſent, niſi ſuſpicaremur ab iis ideò prætermiſſam, quia in gratiam Attici ſolius ſcripta eſſet, ut à Cyzicenis Siſinnio reſponſum fuit. Vel ideò ſanè quod multis præjudiciis ipſo etiam Anatolio decernente confixa, & obliterata eſſent Principum reſcripta in negotiis Eccleſiaſticis, & Metropoleon prærogativis, non ſolùm in cauſſa Nicomedienſis & Nicæni Epiſcopi, Tyrenſis & Berytenſis, ſed etiam in Patriarchatu Hieroſolymitano. Etenim cum Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymorum, ex occaſione diſcordiæ ſubortæ in Concilio Epheſino inter Cyrillum Alexandrinum, & Joannem Antiochenum, Palæſtinas ſibi vindicare non potuiſſet, & à Patriarchatu Antiocheno divellere; id tandem obtinuit Imperatoriis reſcriptis per gratiam, ut exiſtimo Epiſ-

Legem eamdem caruiſſe effectu luculenter probatur.

copi

copi Conſtantinopolitani viam ſibi per hęc exempla facientis, ad ſui Patriarchatus Honorarij incrementum. Diſtractæque ſunt Arabia, Phœniciæ & Palæſtinæ, adjudicatæque Sedi Hieroſolymitanæ. Sed cùm executioni interceſſiſſet Antiochenus, lites exortæ ſunt inter utramque Eccleſiam, quas tranſactione litigatoribus ſopire placuit; ita ut Arabia, & duæ Phœniciæ remanerent ſub juriſdictione Antiochenæ Eccleſiæ, tres verò Palæſtinæ cederent Hieroſolymitanæ, abrogatis principalibus reſcriptis, & mulctis in contumaces illatis ἀργούντων πάντων τῶν πραγματικῶν, καὶ τῶν ἄλλως πορισθέντων τοῖς μέρεσι θείων γραμμάτων, καὶ τῶν περιεχομένων αὐτοῖς προστίμων, quam Patrum conventionem Synodus Chalcedonenſis, & judices cognitores decreto ſuo confirmaverũt, Act. VII. Qua fronte ergo potuiſſet Anatolius ad Sedis ſuæ auctoritatem confirmandam Theodoſij conſtitutiones, quas ipſe in hoc genere cauſſarum damnabat, proferre.

Conjectura auctoris auctã eſſe Hieroſolym. Sedem, ut exemplũ eſſet ad Conſtantinopolitanæ incrementum.

Adeò autem pauliſper invaluit in ordinandis Metropolitis Epiſcopi Conſtantinopolitani poteſtas Chryſoſtomi exemplo firmata, & Imperialibus mandatis roborata, ipſáque Secundæ ſedis dignitate, ut Cæſareenſes Cappadoces poſt obitum Firmi Cæſareæ Archiepiſcopi, de ſucceſſore deliberantes, totius Ponticæ Synodi ſuffragiis rem integram ad Proclum Conſtantinopoleos Archiepiſcopum detulerint, & per Legatos ſuos ordinandum Epiſcopum poſtulaverint. Ille verò

Socr. l. 7. c. ult.

Ep. Constantinopolitanus Archiepiſcopum Cæſareæ Cappad. ordinavit, ſed rogatus.

rem planè admirabilem aggreſſus eſt, inquit Socrates l. 7. c. ultimo, & ex omnibus Senatoribus qui ad Eccleſiam acceſſerant, Thalaſſium expræfectum Prætorio Illyrici ad Præfecturam Prætorianam Orientis mox provehendum Cæſareæ Epiſcopum ordinavit, ἀντὶ ὑπάρχου Ἐπίσκοπον τῆς Καισαρείας ἀνέδειξε. Sed nullum inde trahi poteſt argumentum Proclum jure ſuo uſum fuiſſe in ea ordinatione, cùm rogatus id egerit; quod per omnes Canones ſemper licuit. Inſigne tamen cœteris Eccleſiis præbitum fuit exemplum ut haberent quod ſequerentur, vel hinc edoctæ faſces eſſe tandem ſubmittendos throno Regiæ civitatis.

De ordinatione Epiſcopi Epheſini agitur.

Reſtat ut de Epheſini Epiſcopi ordinatione animoſè à Conſtantinopolitanis expetita paucis agamus, vel eo maximè nomine quod occaſio inde captata fuit in Synodo Chalcedonenſi de jure Conſtantinopolit. Sedis contendendi. Igitur Act. xi. Baſſiani olim Epheſini Epiſcopi adverſus Stephanum expoſtulatio propoſita eſt, & reſcripto Marciani in Synodo diſcuſſa. Hic Memnone, & Baſilio Epiſcopis Epheſi fato functis, per vim ab arenariis, & fœce plebis largas illius in pauperes erogationes hoc beneficio veluti rependentis abſque Synodi ſuffragiis adeptus fuerat Sedem Epiſcopalem. Re delatâ ad Imperatorem Theodoſium ſtatim Euſtathium Primicerium Silentiariorum delegavit, qui Epheſi de hoc negotio cognoſceret, eodémque reſcri-

pto Baſſiano confirmavit Epiſcopatum: ἐπέστειλε σάκραν· πάλιν διὰ Εὐσταθίου τοῦ σιλεντιαρίου βεβαιοῦσαν τὴν Ἐπισκοπήν. id eſt interdicto uti poſſidetis vim fieri vetuit, ut vel hinc pateat ſatis antiquam eſſe regiam de poſſeſſione beneficiorum decernendi poteſtatem, adeò ut ei Judicibus regiis aſſerendæ Martini V. conceſſio neceſſaria non ſit, etſi non contemnenda; ſervatâ tamen Synodicæ cognitioni de titulo & ordinatione quæſtione, ut feciſſe Theodoſium ſtatim oſtendetur. Relatione factâ Baſſianus Conſtantinopolim adivit, redivítque in gratiam cum Proclo Archiepiſcopo, & ab eo ſuſceptus eſt in Communionem, & à cœteris Epiſcopis in urbe Regia reſidentibus ita volente Theodoſio. Tamen poſtquam per quatuor annos Epiſcopatum retinuit, factione Stephani Epiſcopi per vim deturbatus eſt de Sede, in cuſtodiam detruſus, & in ejus locum ſubrogatus Stephanus quadraginta Aſianorum Epiſcoporum ſuffragio. Vitium ordinationis violentæ Baſſiani ſavebat Stephano. ídque maximè quod conſulti à Theodoſio Patriarchæ reſponderant Epiſcopatu Baſſianum eſſe abdicandum. Ἐξώσθη παρὰ τοῦτο παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων, παρά τε τοῦ ὁσιωτάτου τῆς βασιλευούσης Ῥώμης λέοντος καὶ τοῦ μακαριωτάτου Φλαυϊανοῦ τοῦ ἐν ὁσίοις, τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως, καὶ παρὰ τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ παρὰ τοῦ Ἀντιοχείᾳ. παρὰ τούτων ἐξώσθη Κρίσει Βασιλικῇ, inquit Stephanus, quod infra liquidiùs explicat. Ἀντηνέχθη παρὰ τοῦ Ἐπισκόπου τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως, τοῦ ἐν ἁγίοις

Θεοδοσίου τοῦ Βασιλέως γράψαντος ἐκβ. ἠνέχθη δὲ γράμματα καὶ παρὰ τοῦ μακαριωτάτου Πάπα, τοῦ ἐν Ῥώμῃ ἁγιωτάτου Ἐπισκόπου. ὥστε τοῦτον μὴ δεῖν εἶναι Ἐπίσκοπον. Et in hac damnatione cardinem ſuæ cauſſæ conſtituebat. præcipuéque in ſententia Romani Epiſcopi. Unde tandem exclamavit. O ἁγιώτατος Ἀρχιεπίσκοπος Λέων ὁ Ῥώμης τοῦτον καθεῖλεν ἐπειδὴ παρὰ Κανόνας ἐγένετο. Quæ damnatio ita intelligenda non eſt, ac ſi ſententia quædam ſolenni judiciorum ordine inter partes prolata fuiſſet, minimè. Sed de reſponſo ad Imperatoris conſultationem à Romano Pontifice cœteriſque Patriarchis dato, quo tanquam lege & regula Aſiana Synodus uti debuerat, & ab ea vocatus Baſſianus inſinuatis illi Patriarcharum, & præcipuè Romani Pontificis ſententiis, Sede ſua Canonicè privandus erat, non verò per vim, & ſine ulla cognitione cauſſæ depellendus, & carceri tradendus. Quod quia obſervatum non fuit in Baſſiani καθαιρέσει. ſed omnia tumultu acta ſunt, & ἀθέσμως, ut inquit Anatolius. Ideò uterque Baſſianus, & Stephanus ab Epiſcopatu dejecti ſunt cognitorum Judicum interlocutione & totius Synodi Decreto; dignitate Epiſcopali utrique ſervatâ, & competentibus ſalariis, unde ſe honeſtius alerent, quæ ducentis ſolidis aureis unicuique taxata ſunt, Act. XII. παραμυθίας προσηκούσης. Fatendum tamen eſt valdè Stephano nocuiſſe quod adverſus Flavianum Conſtantinopolitanum in Epheſino latrocinio Dioſcori motum ſequens valdè injurius fuerat, adeò

Baſſianus & Stephanus Epheſini Epiſcopi Syn. Chalced. Decreto à Sede dejecti.

ut ei omnes Epiſcopi & Clerici Conſtantinopol. in os occinuerint. Vide quantum poſſit Flavianus poſt mortem. Ecce ultio. ἴδε ἐκδίκησις.

Non eſt prætermittendum in hac quæſtione delibata fuiſſe Conſtantinopolitanæ Sedis jura, tentatúmque fuiſſe, ut Baſſianus reciperet Epiſcopatum, favente Luciano Byzæ Heracleenſis Vicario, ſtudioſóque privilegij Conſtantinopolitani propugnatore, & Meliphthongo Juliopolitano Galatiæ primæ Epiſcopo. Inquit enim Lucianus: Πῶς οἷόν τε ἐστὶ νῦν Βασσιανὸν ἐξεωσθῆναι παρὰ τὴν τῶν Κανόνων ἀκολουθίαν, τοῦ καὶ μάλιστα τὸν μακαριώτατον Πρόκλον τὸν τῆς Βασιλευούσης Ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως, κοινωνῆσαι αὐτῷ καὶ διὰ Συνοδικῶν γραμμάτων βεβαιῶσαι τὴν τούτου Ἐπισκοπήν. Pertendebat ergo non eſſe dejiciendum Baſſianum, quia Proclus eum ſuſcepiſſet in Communionem, & per Synodicas literas ei confirmaſſet Epiſcopatum. Quod adulatoriè his verbis idem Lucianus ſuperiùs expreſſerat: ὁ ἔχων τὸ Κῦρος ἐδέξατο αὐτόν. ὁ μακαρίτης Πρόκλος ἐδέξατο αὐτόν. *Proclus*, inquit, *qui habuit poteſtatem, ſuſcepit illum.* Ubi ad detegendam adulationem expendenda eſt dictio illa τὸ Κῦρος, quod jus Metropoliticum ſignificat præcipuámque auctoritatem Can. IV. Synodi Nicænæ, & alibi paſſim. ita ut, ſi Κῦρος quoddam Proclo in ordinatione Baſſiani conceſſerimus, ſtatim aſſerta ſit in Aſiana Diœceſi Patriarchalis auctoritas. Sed neque id præ ſe tulit Baſſianus, cùm jus ſuum perſequeretur coram Synodo, & Magiſtratibus Con-

Communione cum Conſtantinopolitano Epiſcopo, tuebatur ſe Baſſianus.

ſtantinopolitanis, ipſóque Anatolio quem hac ratione demulſiſſet. De reſcripto Theodoſij, electionem ſuam confirmante, & de inita cum Proclo concordia, & ſua cum illo cœteriſque urbicis Epiſcopis Communione tantùm excipiebat, Procli Confirmationem & Κῦρος non proferebat. ἦλθον, inquit Baſſianus, ἐν τῇ Βασιλευούσῃ Κωνσταντινουπόλεως καὶ λαβόμενος ἡμᾶς ὁ αὐτὸς δεσπότης (id eſt Theodoſius) ἐμέ τε καὶ τὸν γενόμενον τῆς αὐτῆς πόλεως Ἐπίσκοπον Πρόκλον φίλους ἡμᾶς ἐποίησε. Καὶ ἐκοινώνησα μετ' αὐτοῦ, καὶ μετὰ πάντων τῶν κατὰ καιρὸν εὑρεθέντων Ἐπισκόπων. Καὶ Συνοδικὰ ποιήσας ὁ αὐτὸς ὁσιώτατος Πρόκλος ἀπέστειλε καὶ τῇ πόλει καὶ τοῖς Ἐπισκόποις καὶ τοῖς Κληρικοῖς.

Quid diſcriminis inter Cōmunionē, & Confirmationē.

Multum verò intereſt inter Κῦρος ilud aut Confirmationem Procli, & Communionem Baſſiani cum Proclo. Hæc enim eſt charitatis & ſocietatis Chriſtianæ vinculum, veræque fidei teſſera, imò & quoddam Canonicæ ordinationis præjudicium; Κῦρος autem eſt jus Metropoliticum, aut Patriarchale ſuperioris ordinationem Canonicâ auctoritate confirmantis. Hoc jure uſus non eſt Proclus, ſed tantùm Baſſiano Communicavit ut Epheſiorum Epiſcopo, id eſt agnovit eum ut Epiſcopum Epheſinum, ídque Synodicis literis datis ad Aſianæ Diœceſeos Epiſcopos teſtatus eſt. Unde prudenter ſanè & eleganter judices cognitores interlocuti ſunt; *Clerus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ nos edoceat, an Proclus ſuſceperit Baſſianum, & ei Communicaverit tanquam Epiſcopo Epheſiorum Metropolis*, ἐκοινώνησεν αὐτῷ ὡς Ἐπισκό-

πῳ τῆς Ἐφεσίων Μητροπόλεως. Nullum verò electionis Decretum, aut Κῦρος exhibendum petiverunt. Sed fortaſſè peccato memoriæ id omiſerant. Videamus quid ſeduli harum rerum perſcrutatores Clerici Conſtantinopolitani reſponderint. Ait ergo Theophilus Preſbyter juratus: *Vt coram Deo, ſuſcepit eum ſanctæ memoriæ Proclus Communicantem, & Synodalibus literis honorans dimiſit eum ad Epheſum, & in diptychis poſuit ejus nomen, & recitabatur uſque ad modicum abbinc tempus:* Ὡς ἐπὶ Θεοῦ, καὶ ἐδέξατο αὐτὸν ὁ ἐν ἁγίοις Πρόκλος Κοινωνικὸν, καὶ Συνοδικοῖς γράμμασι τιμήσας αὐτὸν ἀπέλυσεν ἐπὶ τὴν Ἔφεσον. καὶ ἐν τοῖς Διπτύχοις ἔταξεν αὐτοῦ τὸ ὄνομα. καὶ ἐλέγετο ἕως πρὸ ὀλίγου καιροῦ. Viden' nullam τοῦ Κύρους, aut Confirmationis mentionem factam, ſed tantùm Communionis, quæ pars eſt ſocietatis charitatiſq; Chriſtianæ. Quod ut pateat manifeſtiùs obſervanda eſt Theophili Preſbyteri phraſis, Proclus inquit, ſuſcepit Baſſianum Κοινωνικὸν, cujus dictionis vis, & uſus non eſt adhuc planè à quoquam expenſus. Significat enim Epiſcopum charitatis glutino, ut cum Cypriano loquar, univerſalis Eccleſiæ ſocietati adherentem, nullóque hæreſeos aut ſchiſmatis vitio laborantem, ideóque ab Orthodoxis Epiſcopis in communionem myſteriorumque religionis Chriſtianæ participationem ſuſcipiendum.

Iure Cõmunionis uſus eſt Epiſcopus Conſtantinopolitanus erga Baſſianũ, & nõ Cõfirmationis quod ei non competebat.

Vis dictionis Κοινονικὸν primùm obſervata.

Unde ille decantatus Ibas Edeſſenus Epiſcopus, ut ſe purgaret in Synodo Berytenſi eo crimine quòd Cyrillum Alexandrinum hæreticum

Vt neque jus Confirmationis cõpetebat

Iba Edeſſeno qui cum Cyrillo Alex. Communicaverat.

vocaſſet, ait, ſe ab eo literas accepiſſe, viciſſímque ad eûm ſcripſiſſe poſtquam Cyrillus redivit in gratiam cum Anatolica Synodo, & Joanne Antiocheno (quem Exarchum ſuum appellat) Γράμματα παρ' αὐτοῦ ἐδεξάμην, καὶ γράμματα αὐτῷ ἔπεμψα, καὶ Κοινωνικὸν με ἔσχε, καὶ κοινωνικὸν αὐτὸν ἔσχον. Οἱ Θεοφιλέστατοι Ἐπίσκοποι εἶπον μετὰ τὸ, γενέσθαι ὑμᾶς κοινωνικοὺς, τί ποτε εἶπας. *Communicatorem* ſive Κοινωνικὸν *me ille habuit*, *&* *ego illum*, inquit Ibas. Ergo ne hinc colligemus Ibam Edeſſenum Meſopotamiæ Provinciæ Epiſcopum ſubditum Patriarchatuï Antiocheno, jus aliquod obtinuiſſe adverſus Cyrillum Alexandrinum Archiepiſcopum? Minimè, ſed ſopitis diſcordiis excitatis in Epheſina Synodo inter Cyrillum & Joannem Antiochenum, Κοινωνικοὶ fuerunt adinvicem Cyrillus & Ibas, ut loquuntur Epiſcopi in ſuperioribus verbis Synodi Berytenſis Act. x. Conc. Chalced.

Vocis Κοινωνικὸς *ſenſus idem.*

Eodem ſenſu accipitur vox iſta in Synodo ad Quercum habita contra Joannem Chryſoſtomum apud Photium Tmemate 59. ubi accuſatur cap. 19. Libelli accuſatorij porrecti à Joanne Diacono, ὅτι τοὺς Κοινωνικοὺς τῆς Οἰκουμένης *Communicatores orbis* monachos ipſius voluntate incluſos, & in cuſtodia mortuos adeò contempſerit, ut ne corpora quidem ſepulturæ mandanda curarit; Iidem vocantur in libello Iſaaci Epiſcopi capite 16. Κοινωνικοὶ τῆς Ἐκκλησίας. Sed illuſtrior erit locus petitus è Synodico Concilij Conſtantinopolitani. II. apud Theodor. l. 5. c. 9. Ubi Patres Conſtan-

 202

Conſtantinopoli congregati à Theodoſio, dum ſe erga Damaſum Synodúmque Romanam excuſant, cur Romam accedere non poſſint, tuentur ſe temporis anguſtia cùm ad longiùs iter parandum, tum ad Epiſcopos in ſingulis Provinciis, qui erant ejuſdem cum illis Communionis de hac re commonefaciendos, & eorum conſenſus obtinendos, Πάντας τοὺς ἐν Ἐπαρχίαις Κοινωνικοὺς Ἐπισκόπους ὑπομνησθῆναι.

Can. VI. Synodi Conſtantinopolitanæ II. mẽdum.

Ex iſto Synodico emendari poteſt vetus mendum quod hæret in Can. VI. Synodi Conſtantinopolitanæ II. quoque laborant omnes editiones Conciliorum, & Zonaræ, & Balſamonis, ita ut inveteratum ſit ulcus. Cùm enim ſtatuiſſet hæreticos non eſſe admittendos ad Epiſcoporum Orthodoxorum accuſationem in crimine Eccleſiaſtico, licèt in cauſſa pecuniaria nullum rejiciat, definiátque jus ſuum cuique tribuendum cujuſcumque religionis fuerit, οἵας δήποτε θρησκείας εἴη. ſubjungit hæreticos eos eſſe qui damnati ſunt ab Eccleſia, prætereà verò eos qui ſanam fidem profiteri ſimulantes, *ſegregaverunt ſeſe, & adverſus canonicos noſtros Epiſcopos congregationem faciunt.* Ἀποσχισθέντας καὶ ἀντισυνάγοντας τοῖς Κανονικοῖς ἡμῶν Ἐπισκόποις. Vel me tacente ex ſuperiùs adnotatis conſtat legendum eſſe Κοινωνικοῖς. Quinam enim ſunt illi Canonici Epiſcopi? Canonicos quidem Pſaltas ſive cantores legimus in Concilio Laodicæno Can. XV. id eſt eos qui ſunt Clericorum numero adſcripti, qui recenſentur

Emendatur.

in Canone : ἐν τῷ Κανόνι ἐξεταζόμενοι, ut loquitur Synodus Nicæna Can. xvi. Unde Clerici vocantur Κανονικοὶ apud Balſamonem, & Canonici in Capitularibus Ludovici Pij, & alibi ſæpiſſimè; quæ Canonicorum appellatio iis ſolis tandem remanſit, qui preſbyterium, id eſt Senatum Eccleſiæ, & potiorem partem Cleri Epiſcopalium Eccleſiarum, in Preſbyteros, Diaconos, & cœteros inferioris gradus Clericos diſtributi, olim componebant. ſed Epiſcopum, qui caput eſt Cleri, nomine aut appellatione *Canonici* deſignatum non invenio. Euſebius quidem Dorylæi Act. xi. Concil. Chalcedon. proponit ordinari debere Canonicum Epiſcopum in Epheſina Metropoli, juxta Græcorum Codicum lectionem Χειροτονηθῆναι δὲ Κανονικὸν Ἐπίσκοπον, βίῳ καὶ πίστει κεκοσμημένον, id eſt qui ſit iis moribus, & ea fide præditus quam Eccleſiæ Canones in Sacerdotibus & Epiſcopis ſanciunt. Sed ex antiqua verſione Anaſtaſij Bibliothecarij legendum conſtat Κανονικῶς, non Κανονικόν; ita enim reddit ille Græca : *Ordinari autem regulariter debet Epiſcopus prædictæ Metropoli vitâ & fide compoſitus.* Quod maximè congruit cum Baſſiani, & Stephani narratione, quorum perſonæ non excipiebantur quaſi non eſſent & fide, & moribus emendatiſſimis, ſed eorum Canonicam ordinationem non fuiſſe proponebatur, ut notat ipſemet Euſebius : ἡ ἔφοδος τοῦ Βασσιανοῦ ἀναστατικὴν ἔχει τῶν Κανόνων, καὶ ἡ ἀτάκτως γενομένη ἐπὶ Στεφάνῳ Χειροτονία.

Qui ſint Canonici.

Ut ergo redeat unde diſceſſit oratio, ex iis quæ diſſeruimus ſatis evidenter conficitur, Communionem Baſſiani cum Proclo charitati tribuendam, non ſuperiori juriſdictioni. Enimverò ſi ordinario jure Archiepiſcopo Conſtantinopoleos ſubditus fuiſſet Epiſcopus Epheſinus; cur tanto conatu indiguiſſet Theodoſius, ad diſcutiendam Baſſiani ordinationem, ut Patriarchales Sedes ab illo conſulendæ fuerint, præcipuéque Romana? Numquid Archiepiſcopus Conſtantinopoleos cum Endimousâ Synodo rem iſtam Decreto ſuo, ſolus poterat definire, ſi Metropoleos Epheſinæ dignitas id pati potuiſſet; quod profectò verum eſt; ut vel hinc jus Exarchatus, & αὐτοκεφαλίας Epheſij Epiſcopi in Aſianam Diœceſim comprobari poſſit. Quod adhuc illuſtratur teſtimonio Clericorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, cùm Baſſianum in Diptycha à Proclo relatum affirmant; quod jus ſolis competebat Patriarchis, ut in alienarum Eccleſiarum Diptychis recitarentur, ad Communionis jus per omnes Diœceſes conſervandum. qua de re diſputabimus in exercitatione ſequenti.

Non hinc jus Epiſcopi Conſtantinopolitani in Epheſinū.

Sed jus Exarchatus Epheſini comprobari poteſt.

Cœterùm gradus nobis faciendus eſt ad diſputationem, quæ magna contentione agitata eſt in Concilio Chalcedonenſi de Privilegio Conſtantinopolitanæ Sedis, adeò ut Baſſiani, & Stephani rejectio ad movendam quæſtionem illam ex compoſito, & de induſtria facta videatur. Prodit enim ſtatim Euſebius Epiſcopus Dorylæi, &

Ex compoſito de Ordinationibus Epheſini & Aſiæ Epiſcoporum in Concil. Chalced. contentio.

ſua ſponte à nullo ſententiam rogatus quaſi primæ relationis jus in Synodo haberet, de ordinatione Epheſini Epiſcopi celebranda refert. Confertímque Aſiani Epiſcopi proſtrati coram Synodo intercedunt, ſui internecionem, & civitatis Epheſinæ tumultum, ſi Conſtantinopoli ordinetur Epiſcopus, fore prædicunt: *Miſerrimi noſtri*, inquiunt, *Si Baſſiano ſucceſſorem ſuadeat aliquis hic ordinari, & filij noſtri moriuntur*, & ἡ πόλις ἀπόλλυται, *civitas perit.* Itaque Judices his vociferationibus moti interpellant Synodum, ubi jubeant Canones Epiſcopum Epheſinum ordinari: ἐπειδὴ οἱ τῆς Ἀσιανῆς Ἐπίσκοποι οἱ ἐνταῦθα εὑρεθέντες, φασὶν, εἰ ἐνταῦθα χειροτονηθείη ἕτερος Ἐπίσκοπος, ἐν θορύβῳ γίνεσθαι τὴν Ἐφεσίων πόλιν, λεγέτω ἡ ἁγία Σύνοδος, ποῦ βούλονται οἱ Κανόνες τὸν τῆς κατ' Ἔφεσον ἁγιωτάτης Ἐκκλησίας χειροτονηθῆναι Ἐπίσκοπον. Magni momenti interrogatio, ut poſſimus ex reſponſione colligere, an ex præſcripto Synodi Conſtantinopolitanæ ordinationes Metropolitanorum Aſianæ Diœceſeos ad thronũ urbis Regiæ pertineant. At reſponderunt Epiſcopi *in Provincia*: οἱ εὐλαβέστατοι Ἐπίσκοποι εἶπον, ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ. Quod quia veriſſimum erat. Diogenes Epiſcopus Cyzici hoc jus Epiſcopis ex conſuetudine vindicare nititur, τὸ ἔθος ὧδε ἔχει, inquit ille; id eſt, Conſuetudo eſt ut hic ordinetur. Ita enim accipienda eſt Diogenis explicatio, non ut Perronius, Baronius, & cœteri ſcriptores interpretati ſunt, quaſi Diogenes inſinuaret, Conſuetudinem hoc velle, ut ordinare-

tur in Provincia. Contra verò ſatagebat ille ut deſignaretur in urbe, & laudandæ Conſuetudinis rationem addit, nempè ut probati Sacerdotes eligantur Conſtantinopoli, & non Sagmarij, ut nudius tertius acciderat Epheſi. Diſplicuit hæc oratio Leontio Magneſiæ Epiſcopo, qui Conſuetudinem à Diogene prolatam convellit. *A Sancto Timotheo uſque nunc*, inquit, *viginti ſeptem Epiſcopi facti, omnes in Epheſò ſunt ordinati, ſolus Baſilius violenter hîc factus eſt, & multæ cædes hinc ortæ ſunt.* Quæ Leontij contradictio, malè accepta eſt à Philippo Preſbytero Conſtantinopolitano, qui depoſitiones quindecim Epiſcoporum factas in Aſia à Beato Joanne commemorat, Memnonemque Conſtantinopoli confirmatum. Addit Aëtius Archidiaconus, Caſtinum etiam in urbe ordinatum, Heraclidemque, & cœteros cum conſenſu Archiepiſcopi Conſtantinopolitani ordinatos fuiſſe, μετὰ γνώμης. τοῦ ὧδε Αρχιεπισκόπου. Quod atttinet ad Baſilium, manus illi impoſitas fuiſſe à Proclo Archiepiſcopo, & Theodoſium Imperatorem Cyrillumque Alexandrinum huic ordinationi conſenſiſſe. Unde emunctæ naris lector canonicam & ordinariam non fuiſſe Baſilij Χειροτονίαν illam quæ tot extraordinariis fulcimentis indiguerit, mecum ſubodorabitur. In hoc ſententiarum diſſidio, Synodus impatiens jugi quod ex Conſuetudine Contra Canones Eccleſiis imponere nitebantur Clerici Conſtantinopolitani, & Epiſcopi Helleſpontiaci,

An fieri debeant Conſtantinopoli, nec ne.

Baſilius Epiſcopus ab Epiſcopo Conſtantinopolitano ordinatus cõtra Canones.

exclamavit : *Canones obtineant, voces Imperatori.* οἱ εὐλαβέστατοι Ἐπίσκοποι ἐβόησαν, οἱ Κανόνες κρατείτωσαν. τὰς φωνὰς τῷ Βασιλεῖ. Commoti Clerici clamoribus Patrum Conſuetudinem Canonibus adverſam rejicientium eam callido commento à Canonibus derivant : *Ea, quæ Sanctorum Patrum centum quinquaginta ſunt, teneant*, inquiunt, *Privilegia Conſtantinopolitanis ne depereant. Ordinatio ſecundum morem ab Archiepiſcopo noſtro fiat.* Τὰ τῶν πατέρων τῶν ρν. κρατείτω. τὰ πρεσβεῖα Κωνσταντινουπόλεως μὴ ἀπόληται. ἡ Χειροτονία κατὰ τὸ ἔθος ὑπὸ τοῦ ὧδε Ἀρχιεπισκόπου γένηται. Judices rem totam; id eſt ipſam Baſſiani, & Stephani dejectionem in diem craſtinam diſcutiendam reliquerunt.

Ergo dum quæſtio ſuffragiis Epiſcoporum dirimitur Act. xii. Maximus Epiſcopus Antiochiæ, cenſuit alterum eſſe retinendum : quis autem ſocio ex indulgentia præferendus eſſet, definiendum reliquit, non Archiepiſcopo Conſtantinopoleos, ſed Provinciæ Epiſcopis : τίς δὲ αὐτῶν ἄξιος ἐστὶ μεῖναι ἐν τῇ πόλει κατὰ φιλανθρωπίαν, τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐστὶ Θεοφιλεστάτων Ἐπισκόπων εἰπεῖν. In hanc ſententiam ivit Julianus Coënſium Epiſcopus Vicarius Apoſtolicæ Sedis. *Secundum regulas quidem neuter eorum eſſe debet ; per Clementiam verò Synodus Aſiana eligat qui poſſit eſſe.* Κατὰ δὲ φιλανθρωπίαν ἡ Σύνοδος ἡ Ἀσιανὴ ἐπιλεξέσθω, τίς ὀφείλει εἶναι. Sanè manifeſtiùs profiteri non potuiſſent Patres & Ordinationes, & dejectiones Aſianorum Epiſcoporum non Archiepiſcopo Conſtantinopoleos,

ſed Synodis Provinciarum ex præſcripto Canonum eſſe committendas. Interim notare poſſumus acre Clericorum, & Aëtij Archidiaconi ſtudium, qui ex unica Baſilij ordinatione peracta à Proclo in urbe Conſtantinopolitana, invitis, & renitentibus Aſianis Conſuetudinem quæ ex repetitis actibus proficiſcitur, pervicaciter prætendunt. Nec tantùm Metropolitas vindicare ſibi nituntur, quinimò, & Epiſcoporum ſecundi gradus Ordinationes ex conſuetudine Sedi Conſtantinopolitanæ aſſerunt, ut patet ex Aëtij Archidiaconi ſuggeſtione, Act. XIII. qui Baſilinopoleos urbis in Provincia Bythinia ſitæ, Χειροτονίαν ſententia Synodi Eunomio Nicomedienſi adjudicatam adverſus Anaſtaſium Nicænum, ad Sedem Conſtantinopolitanam trahit: *Quæ*, inquit Aëtius, *aut ordinationem ipſa facit in Baſilinopoli cum reliquis aut eam permittit fieri, ſicut literis quæ factæ ſunt ſæpiùs oſtendere poſſumus*, ἢ τὴν χειροτονίαν αὐτὸς ἐνεργεῖ ἐν τῇ Βασιλινοπόλει μετὰ τῶν λοιπῶν ἢ ἐπιτρέπει γενέσθαι, καθὼς καὶ τὰ φοιτῶντα γράμματα, ἢ φοιτήσοντα πολλάκις, δεῖξαι δυνήσεται. Ecce novas artes ad potentiam amplificandam. ſcilicet id ſolùm reſtabat commenti genus quo ſe Conſtantinopolitana Sedes ubique venditaret. nempe permittebat ex ſcripto id fieri, quod Canonum auctoritate licebat. ita ut Provinciales Epiſcopos in recuſandi indulti, & injuriæ inde ſecutæ, aut mandati recipiendi, & extraneæ auctoritatis agnoſcendæ neceſſitatem truderet. Sed Synodus

Ars Nova Epiſcopi Conſtantinop.

iſtam Aëtij ſuggeſtionem conſtanter exploſit. ſancta Synodus clamavit: *Canones teneant, Canonibus ſatisfiat.* ἡ ἁγία Σύνοδος εἶπεν. Κανόνες κρατείτωσαν. τοῖς Κανόσι τὸ ἱκανὸν γινέσθω. Adeò ut Judicibus neceſſe fuerit iſta proloqui: *Quæcumque Sedi Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ de Ordinationibus in Provincia faciendis competunt, hæc ſuo ordine coram ſancto Concilio examinabuntur.* Itaque controverſia iſta in aliam cognitionem eſt dilata, pronuntiatumque id fieri debere ſolenniter & ordine, κατὰ τάξιν οἰκείαν.

Erat ſolū Exarchus Thracicæ, Ενδημούσης *privilegio fruens, & rogatus ordinans.*

Quid ergo ſupererat aliud quàm ut Clerici Conſtantinopolitani, vel potiùs Anatolius ipſe tot ſententiis Patrum confoſſus ſe intra fines à Canonibus præſcriptos, parcens alienis Provinciis contineret, ſecundi gradus dignitate à Synodo decretæ contentus fruénſque ſubidtitij Concilij privilegio, id eſt τῆς Ενδημούσης Συνόδου, vicem legitimi, & Canonici Concilij implentis, Thracicam ut naturalis, & Ordinarius Exarchus regeret; in Aſiana, & Pontica Ordinationes quaſdam Metropolitanorum rogatus perageret, ut mos in conſequentiam ſecundæ dignitatis in quibuſdam Provinciis invaluerat.

Sed Ordinationes Metropolitanorum ambivit, in Aſiana, Pont. & Thrac. Diœceſib.

Sed non patiebatur ambitio ſe intra limites auctoritatis precariæ cogi, imò tot interceſſionum mole oppreſſa majore niſu in id incubuit, ne quis ampliùs contenderet, an Conſuetudo Canones vinceret; & diſputationibus Aſianorum Epiſcoporum accenſa eſt, ut Synodi Decreto privilegia

privilegia ſua confirmari, & amplificari curaret, Sedique Conſtantinopolitanæ Metropolitarum Ordinationes in Aſiana, Pontica, & Thracica Diœceſibus addici. Quod Imperatoris potentia, illuſtriſſimorum Magiſtratuum, & Senatus Conſtantinopolitani gratia Novam Romam ornari maximopere cupientium obtinuit.

Id enim diſertiſſimè fatentur Patres Chalcedonenſes, in Synodico ad Leonem Papam, *ἡμεῖς γὰρ θεραπεύοντες τούς τε εὐσεβεστάτους καὶ φιλοχρίστους βασιλέας ἐπὶ τούτῳ ἡδομένους, τήν τε λαμπρὰν σύγκλητον, καὶ πᾶσαν ὡς εἰπεῖν τὴν βασιλεύουσαν, εὔκαιρον ἐνομίσαμεν τὴν ἐπ' αὐτῇ παρὰ τῆς Οἰκουμενικῆς Συνόδου βεβαίωσιν τῆς τιμῆς.* Quinimò & privatorum commodorum ſinguli, Eccleſiarumque ſuarum utilitatis Epiſcopi rationem habuerunt, rati ſe ſtudioſiùs ab Archiepiſcopo Conſtantinopoleos, & illius apud Principem gratiâ protegendos, ſi Sedi Conſtantinopolitanæ omninò ſubjicerentur. Hoc non diſſimulavit Nunechius Epiſcopus Laodiceæ Act. XVI. *Δόξα τοῦ θρόνου τῆς Κωνσταντινουπόλεως, δόξα ἡμῶν ἐστι. τῆς γὰρ ἐντεῦθεν τιμῆς καὶ ἡμεῖς μετέχομεν. ἐπειδὴ δὲ τὰς μερίμνας ἡμῶν ἀναδέχεται. Καὶ ἀγαπῶμεν τὸν καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν Μητροπολίτην ὑπὸ τοῦ θρόνου τούτου χειροτονεῖσθαι.* In eumque ſenſum Critonianus Aphrodiſiados inquit, *πάσης προστασίας ἡ Ἐκκλησία ἡμῶν τετόχηκεν.*

Adeptus eſt eas ab Epiſcopis Syn. propter privatam eorum utilitatem.

Et ſanè Principis auctoritas, quæ in rebus Eccleſiaſticis multum pollebat, & ad nutum Archiepiſcopi Conſtantinopolitani movebatur, magnam dignitatem in omnium Epiſcoporum ani-

Principis auctoritate ſuam auxit, ut liquet ex hoc exemplo.

mis tantæ Sedi conciliabat. quod vel unico exemplo comprobabo. Accuſato Iba Edeſſeno à Clericis ſuis, dum litis diſcuſſio perageretur in Synodo Antiochena ſub Domno Patriarcha, Samuël & Cyrus ad Comitatum Principis perrexerunt deſertâ accuſatione. Quod ægrè tulit Domnus, eoſque ob Sedis ſuæ, quam θρόνον Αποστολικὸν vocat, contemptum depoſuit. Cœterùm Clerici illi Flavianum Conſtantinopoleos Archiepiſcopum adiverunt Ibam Epiſcopum accuſaturi, qui quidem cauſſæ cognitionem non ſuſcepit, ſed auctor fuit Theodoſio Imperatori, in Domno ſuſpicionem aliquam cauſatus, Uranium Himeriorum Epiſcopum Metropolitam Ibæ, Photium Tyri, & Euſtathium Berytenſem delegandi, ut in Phœnicia illis judicibus cauſſa diſtringeretur, commonitorio dato ad Damaſcium Tribunum, quatenùs ad Orientem profectus ab Oſrhoëna Provincia ad Phœniciam, partes, & Epiſcopos accuſatos traduceret, remque ab illis judicatam exequeretur. Hoc autem quid aliud eſt, quàm Conſilio ſuo ſub nomine, & auctoritate Principis ſe pro Patriarcha Oecumenico in Oriente gerere. Quis ergo Epiſcoporum, Anatolij votis reſiſtere potuiſſet?

Sola Legatorum Apoſtolicæ Sedis auctoritas Anatolij audaciam comprimere poterat; ideò poſt Legatorum Judicumque diſceſſum è Beatæ Euphemiæ baſilica Canon. xxviii. eſt editus, ſubſcriptúſque à ducentis fermè Epiſcopis, abſen-

Et tãdem Can. 28. Conc. ab-

te Thalaſſio Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopo Ponticæ Diœceſeos Exarcho, & vacante Epheſina Sede totius Aſianæ Diœceſeos Metropoli. De quorum auctoritate præcipuè tranſigebatur illis non vocatis contra omnem judiciorum ordinem. Vacabat equidem Alexandrina Sedes quæ ſecundo loco movebatur, ſed adeò illius non intererat, cùm jam à ſexaginta annis eo gradu deturbata eſſet à Conſtantinopolitana Synodo, iſque Sedium ordo per Orientis præfecturam in rem judicatam tranſiiſſet. Verba Canonis ſunt hæc: *Vbique Sanctorum Patrum definitiones ſequentes, & Canonem qui nuper lectus eſt centum, & quinquaginta Deo amantiſſimorum Epiſcoporum, qui congregati ſunt ſub piæ memoriæ Imperatore Theodoſio magno in Regia Civitate Conſtantinopoli Nova Roma agnoſcentes, Nos quoque eadem definimus & ſtatuimus, de privilegiis ejuſdem ſanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopoleos Novæ Romæ: (Etenim Sedi Senioris Romæ quòd urbs illa imperaret Patres jure privilegia tribuerunt. Et eâdem conſideratione moti centum quinquaginta Deo amantiſſimi Epiſcopi, Æqua privilegia tribuerunt ſanctiſſimæ Sedi Novæ Romæ, rectè judicantes urbem, quæ & Imperio & ſenatu honorata ſit, & æqualibus privilegiis cum ſeniore Regia Roma fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis non ſecus ac illam extolli ac magnifieri ſecundam poſt illam exiſtentem.) Et ut Ponticæ & Aſianæ, & Thracicæ Diæceſeos Metropolitani ſoli; præterea, & qui ſunt in Barbarico Epiſcopi prædictarum Diæceſeon*

ſentibus Legatis Apoſt. Sedis obtinuit Patriarchatum.

Canon. XXVIII. *Synod. Chalcedon.*

ordinentur à prædicto ſanctiſſimo throno ſanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ. Nimirum unoquoque Metropolitâ earum ipſarum Diœceſeon unà cum Epiſcopis Provinciæ ordinante Provinciæ Epiſcopos, ut divinis canonibus promulgatum eſt. Metropolitas verò earum Diœceſeon ordinari à Conſtantinopolitano Archiepiſcopo electionibus convenientibus ſecundum morem factis & ad eum perlatis.

Legatorũ Apoſt. Sedis querela de hoc Can.

Hoc Canone à ducentis tantùm Epiſcopis, hoc eſt à minore parte Concilij, cùm ſexcenti & ampliùs ſuffragium ferre deberent, definito & ſubſcripto, die craſtina graviſſimis verbis Legati coram Judicibus de vi, metu, & dolo conqueſti ſunt Actione xvi. Actaque illa, ſe, Judicibúſque cognitoribus abſentibus, contra morem judiciorum, & Leonis mandata, qui Legatis ſuis præſentibus omnia fieri juſſerat, eſſe peracta. Replicuit Aëtius Archidiaconus rogatos fuiſſe Romanos Epiſcopos, Κυρίους Ἐπισκόπους τοὺς ἀπὸ Ῥώμης, ut intereſſent rebus gerendis, illos verò renuiſſe, quo judicibus relato, mandatum ab iis fuiſſe, ut Synodus de negotio cenſeret. iiſque diſcedentibus, ab Epiſcopis qui remanſerant Canonem illum canonicè & legitimè editum, nihilque furtim aut per inſidias geſtum tentatúmve fuiſſe, οὔτε κλοπῆς τρόπῳ. Scheda à Beroniciano ſacri Conſiſtorij à ſecretis recitatâ, in qua ſupradictus Canon continebatur, Lucentius per vim circumventos fuiſſe Epiſcopos aſſeruit, eamque definitionem Nicænis regulis contrariam, Con-

ſtitutionémque Conſtantinopolitanam in Synodicos Canones non eſſe relatam ἐν τοῖς Συνοδικοῖς Κανόσι. In hoc diſſidio jubent cognitores ex utraque parte Canones proferri. Paſchaſinus Canonem VI. Nicænum recitavit, eumdémque Conſtantinus ſacri Conſiſtorij à ſecretis è Codice porrecto ab Aëtio; ſtatímque ex eodem Codice Synodicum ſecundæ Synodi ſubjunxit. Συνοδικὸν τῆς δευτέρας Συνόδου. Tum Judices Epiſcopos Aſianæ, & Ponticæ Diœceſeos qui Canoni relecto ſubſcripſerant, interrogant an liberè & ſponte ſua, an per vim, metúmque illatum conſenſiſſent. Λεγέτωσαν εἴγε οἰκείᾳ γνώμῃ ἢ ἀνάγκης τινὸς αὐτοῖς ἐπενεχθείσης ὑπέγραψαν.

Judices de hac querela cognoſcunt.

Antequam ulteriùs progrediar eſt advertendum hîc tantùm propriè de Pontica & Aſiana Diœceſi quæſtionem motam, judicibúſque ſolam diſcutiendam viſam fuiſſe. Ita ut vel hinc colligere liceat, Thracicam Diœceſim quæ à Synodo ſuæ Diœceſeos erat regenda juxta Canones Nicænæ Epheſinæque Synodi, jam tum Archiepiſcopo Conſtantinopoleos ceſſiſſe, qui cùm ex antiquo jure hujuſmodi Thraciæ conventibus intereſſe deberet; ita novo jure, id eſt ſecundæ Synodi Decreto, præeſſe fretus Novæ Romæ privilegiis ſine controverſia poterat; adeóque facillimè ad ſe unum, & ad Synodi in urbe Regia Ἐνδημούσης arbitrium, omnia ſtatim Thracicæ Synodi munia pertraxit. Unde rectè poſſumus interpretari Theodoretum l. 5. c. 34. dum refert Oc-

De Pontica & Aſiana ſolùm quæſtio. jam enim Thracicam adminiſtrabat Conſtantinopoleos Archiepiſcopus.

cidentis Epiſcopos, id eſt Papam cum ſuo Patriarchatu, *Ægypti*, *Orientis*, *& Boſphori Thraciæque* Epiſcopis communicare noluiſſe, donec Joannis Chryſoſtomi nomen in demortuorum Sacerdotum Diptychis inſcriberetur. Ut enim Ægyptiorum Epiſcoporum nomine Alexandrinum Archiepiſcopum cum Diœceſi Ægyptiaca, & Orientis nomine, Antiochenum Exarchum cum Orientali Diœceſi juxta veterem eruditúmque loquendi morem intelligimus, ita Boſphori & Thraciæ appellatione Archiepiſcopum Conſtantinopoleos Arſacium, cum ejus Diœceſi Thracica par eſt accipere.

Conſtat ex Ordinatione Silvani Philippopol. Epiſcopi.

Hinc eſt quod Atticus Archiepiſcopus, Thraciæ Χειροτονίας ſibi ſoli pro arbitrio contra jus & mores antiquos aſſeruit, & ad ſe Silvano accerſito, eum Philippopolis Epiſcopatu donavit. Ἐπίσκοπον τῆς Φιλίππου πόλεως Κατέστησεν. qui cùm triennio in Thracia degens, frigus tolerare non poſſet, Atticus alterum in ejus locum ſuffecit, deinde Troadis Epiſcopo mortuo, Troibus Conſtantinopolim advenientibus Epiſcopum quæſitum ab Attico, Silvanus datur apud Socr. l. 7. c. 36. Ergo pleno jure in Thraciæ Epiſcopis ordinandis utitur, ut precario in Phrigianis.

De Metropolitarum ordinatione

Deinde colligendum eſt ex hac interlocutione Judicum, nullius momenti apud illos fuiſſe controverſiam illam de dignitate ſecundi gradus tributa throno Conſtantinopoleos, utpotè quæ judicio ſecundæ Synodi licèt invitis Cano-

nibus Nicænis, & ſexaginta annorum non interrupta aut interpellata à quoquam poſſeſſione niteretur. Id ſolùm viſum eſt illis in controverſiam revocari poſſe quod ad Aſianæ, & Ponticæ Metropolitarum Ordinationes pertinebat, & Κῦρος ſolidámque in eas Diœceſes auctoritatem Patriarchæ reſpiciebat; quod caput cum verbis, & Conſtitutione Canonis Conſtantinopolitani non niteretur, ex conſenſu jure ſuo cedentium Epiſcoporum, vim ſuam habere debebat. Ideóque prudenter ſanè ab illis petunt, an citra vim metumque Aſianæ, & Ponticæ Diœceſeos Epiſcopi ſcientes volentéſque ſubſcripſiſſent. Illi verò & viritim, & confertim ſe liberè, & ſponte conſenſiſſe profitentur, ſéque & ſententiæ centum & quinquaginta Patrum rationem habuiſſe, & Conſuetudinis, quam in Eccleſiis Synnadorum, Amaſiæ, Gangrorum, Myrorum, & Aphrodiſiadis, & in aliis quibuſdam invaluiſſe teſtantur, ſuarumque Eccleſiarum commodis à Sede Conſtantinopolitana ornandarum conſuluiſſe. Tum ad Epiſcopos, qui non ſubſcripſerant, converſi Judices quid eis videatur, exquirunt. Euſebius Epiſpopus Ancyranus cenſet primus, ſuique juris eſſe Gangrorum Epiſcopi ordinationem inſinuat, qua in Gratiam Procli Conſtantinopolitani ceſſerit, ne lite vexaretur, (ſcilicet à Proclo jam tum alienas parœcias invadente). Sed inter cenſendum & à Philippo Presbytero Conſtantinopolitano, & ab Anatolio ſa-

præcipuè agebatur in Syn.

tis acriter impetitur ; ita ut Thalaſſius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus artium aulicarum peritiſſimus , utpotè à Præfectura ad Epiſcopatum provectus, quò contentiones omnes finiret, dixerit : *Pergimus ad Dominum Anatolium Archiepiſcopum, & ſtatuimus illud:* Ἀπερχόμεθα πρὸς τὸν Κύριον, τὸν Ἀρχιεπίσκοπον Ἀνατόλιον. καὶ τυποῦμεν αὐτό.

Exarchus Ponticæ cõſenſum præbet Patriarchatui Conſtantinop.

Quia verò Thalaſſij ſententia Ponticæ Diœceſeos Exarchi, & de cujus potiſſimum cauſſa tractabatur magni ponderis non immeritò exiſtimabatur , confeſtim Judices ſuffragiis non ampliùs à quoquam exquiſitis, ac ſi Thalaſſij conſenſu eis eſſet peracta diſertè pronuntiant ; è Geſtis & diſcutione præhabita , primatum honorémque præcipuum ſecundum Canones veteris Romæ Archiepiſcopo conſervari, πρὸ πάντων μὲν τὰ πρωτεῖα, καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμὴν κατὰ τοὺς Κανόνας τῷ τῆς Πρεσβυτίδος Ῥώμης Θεοφιλεστάτῳ Ἀρχιεπισκόπῳ φυλάττεσθαι, oportere autem , ut Archiepiſcopus Conſtantinopoleos Novæ Romæ iiſdem privilegiis honoris fruatur, καὶ αὐτὸν ἐξ αὐθεντίας ἐξουσίαν ἔχειν τοῦ χειροτονεῖν, &c. authoritatémque habeat Metropolitas in Aſiana, Pontica & Thracica Diœceſibus ordinandi , electione ad eum à Provincialibus Epiſcopis, Clericis, poſſeſſoribus, & honoratis relata, ita ut in Archiepiſcopi poſitum ſit arbitrio , an electum Metropolitam ordinandum Conſtantinopolim evocare velit, an ex indulgentia, & mandato decretóque ſuo ſinat in Provincia in poſſeſſionem Epiſcopatus mitti , εἴτε

Iudicum ſententia.

κατ.

κατ' ἐπιτροπὴν αὐτοῦ ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ τῇ ψήφῳ τῆς Ἐπισκοπῆς τύχοι. In hanc Judicum ſententiam ob omnibus Epiſcopis itum & acclamatum eſt. Lucentius Apoſtolicæ Sedis Legatus, quæ geſta erant in ſui & Collegarum abſentia circumduci petiit, aut ſaltem interceſſionem ſuam in Acta redigi, ut ſcirent quid Apoſtolico, & totius Eccleſiæ præſidi Epiſcopo referre deberent. Τί τῷ Ἀποστολικῷ καὶ πάσης Ἐκκλησίας Προέχοντι ἐπισκόπῳ ἀνενεγκεῖν. ut ipſe aut de ſuæ Sedis injuria, aut de Canonum everſione poſſit ferre ſententiam. Sed Judicum reſponſione, reclamantibus Legatis nequaquam faventium, hæc controverſia, & Chalcedonenſis Synodus finem accepit. Οἱ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες εἶπον· ὅσα διελαλήσαμεν, πάντα ἡ Σύνοδος ἐκύρωσε.

Legatorũ Apoſt. Sedis interceſſio.

Synodi Chalced. finis.

Ergo jus Novum, quod præcipuè ex iſto Chalcedonenſi Canone introducitur; eſt Metropolitarum ordinatio, & ſubjectio: Hancque innovationem Leo Magnus non diſſimulavit in epiſt. ad Pulcheriam Aug. *Superbum nimis eſt, & immoderatum, ultra fines proprios tendere, & antiquitate calcatâ, alienum jus præripere, atque ut unius creſcat auctoritas, Metropolitanorum impugnare Primatus, quietiſque Provinciis, & olim ſanctæ Synodi Nicenæ moderatione diſpoſitis bellum novæ perturbationis inferre.* Et in epiſt. ad Anatolium: *Non convellantur*, inquit, *Provincialium jura Primatuum, nec privilegiis antiquitus inſtitutis Metropolitani Antiſtites fraudentur.* Non omittit etiam de Alexandrinæ Sedis dignitate imminuta, & ordi-

Canone XXVIII. Metropolitarum ordinatio, & ſubjectio conceditur Cõſtantinop. Epiſcopo.

ne Antiochenæ Eccleſiæ conqueri. Sed profectò, ſi verum amamus, ſera videbatur eſſe poſt longiſſimi temporis patientiam iſta reprehenſio, niſi quatenus novis conatibus retinendis valdè proderat nondum confirmatæ à Sede Apoſtolica ſecundæ dignitatis invaſæ contra Canones Nicænos exprobratio. Porrò ſi cui libeat, Judicum interlocutionem expendere, manifeſtiſſimè patebit Canonem XXVIII. adeò phaleratis, & contortuplicatis verbis exornatum ut privilegia honoris æqua haberet Nova cum vetere Roma, in id tamen deſtinatum fuiſſe, ut Metropolitarum ordinationes, quæ tantùm precariò Sedi Conſtantinopolitanæ deferebantur, eas illi pleno ſolidóque jure cum ſubjectione vindicaret. Etenim Judices uno verbo de iiſdem Honoris privilegiis præfati, multa verba de ordinationibus faciunt, & ſtatuunt diſertiſſimè, Archiepiſcopum ἐξ αὐθεντίας ἐξουσίαν ἔχειν τοῦ χειροτονεῖν τοὺς Μητροπολίτας, &c. Quaſi dicerent jam illi ex authoritate & jure ſuo competere, non precariò tantùm ut antea.

Agnoſco equidem ſatis robuſtum argumentum ex hoc Canone adverſus poſitionem noſtram trahi poſſe, hocque uno velut ariete convelli quæcumque per totam diſſertationem aſſeruimus, de Honoraria Patriarchæ Conſtantinopolitani dignitate ante Chalcedonenſe Concilium. Etenim apertis verbis inſtitutio Patriarchatus Conſtantinopol. ipſáque Metropolitarum ordinatio, ex qua pendet erga eos exercenda juriſ-

dictio, ſecundæ Synodi definitioni tribui videtur. Nos verò ab initio hujus diſſertationis pertendimus, id tantùm à Synodo Chalcedonenſi conceſſum. Neque nos adhuc ſententiæ noſtræ pœnitet. Cùm videam graviſſimum ſcriptorem Evagrium id obſervaſſe l. 3. c. 6. dum ſcribit è Zacharia Rhetore Timotheum Ælurum poſt damnatum à Baſiliſco tyranno, ejuſque circularibus literis Chalcedonenſe Concilium, Paulum in poſſeſſionem Epiſcopatus Epheſini miſiſſe, eique Sedi jus Patriarchicum reſtituiſſe quod ei Synodus Chalcedonenſis ademerat, ἀποδίδωσι δὲ τῇ Ἐφεσίων καὶ τὸ Πατριαρχικὸν δίκαιον, ὅπερ αὐτὴν ἀφεῖλεν ἡ ἐν Χαλκηδόνι Σύνοδος. Nihil dici poteſt illuſtrius ad opinionis noſtræ probationem. Viden' ut Chalcedonenſi Concilio tribuat Metropoleos Epheſinæ minutionem, quæ non contigit alia ratione, quam ex Aſianæ Diœceſeos in Sedis Conſtantinopolitanæ jura tranſlatione. Id autem ægrè tulerunt Aſiani Epiſcopi, ut aliquot annis poſtea totius Aſianæ Synodus Epheſi coacta libentiſſimè literis Encyclicis Baſiliſci ſubſcripſerit, Synodumque Chalcedonenſem damnaverit, ut cædium, ſeditionum, & gravium malorum originem apud Evagr. l. 3. c. 5.

Auctoris ſententia confirmatur ex Evagrio.

Synodus Chalced. damnatur ab Aſiana Synodo.

Porrò adeò pendebat à Concilio Chalcedonenſi auctoritas Patriarchæ Conſtantinopol. ut eo abolito, hujus quoque irrita fuerit juriſdictio. Quare Zenoni Imperatori redeunti ex Iſauria neceſſitas incubuit, reſcindendorum eorum

Hac dãnatione jus Patriarchicum Epiſcopi Conſtantinop.

abolitum reſtituitur à Zenone Imper. quæ fuerant à Baſiliſco per Concilij Chalcedonenſis damnationem decreta: *His*, inquit Zeno, *quæ tempore tyrannidis innovata ſunt tam contra venerabiles Eccleſias, quarum Sacerdotium gerit Beatiſſimus ac Religioſiſſimus Epiſcopus Patriarcha noſtræ pietatis Pater Acacius*, infra, *de privilegio Metropolitano vel Patriarchico antiquandis* (id eſt in Eccleſia Epheſina.) Infrà; *Regiæ urbis Sedem privilegia, & honores omnes ſuper Epiſcoporum creationibus & jure antè alios reſidendi, & cætera omnia quæ ante noſtrum imperium vel nobis imperantibus habuiſſe dignoſcitur, habere in perpetuum firmiter Regiæ urbis intuitu judicamus & ſancimus* l. decernimus de Sacro-ſanct. Eccleſ.

Patres Chalced. Cõſuetudinem ordinationum, & jus Honorarium illius Decreto Synodali firmaſſe ſcribunt ad Leon. Enimverò quid egemus teſtibus & conjecturis in re apertiſſima. Quis meliùs mentem Concilij explicuerit, quam ipſi Patres Chalcedonenſes, qui quidem factum ſuum Leoni Pontifici Maximo probare volentes, ſe Conſuetudinem ordinandorum Metropolitarum Synodali Decreto recepiſſe teſtantur, præterea verò Canonem Conſtantinopolit. ſecundæ dignitatis gradum indulgentem confirmaſſe. Verba Synodicæ Epiſtolæ ad Leonem ſunt iſta: *Eam namque Conſuetudinem quæ à longo tempore obtinuit, quam habuit Conſtantinopolitanorum ſancta Dei Eccleſia ad ordinandum Metropolitanos Diœceſeon Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ, & nunc Synodali Decreto firmavimus. Non tam Sedi Conſtantinopolitanæ aliquid præſtantes, quàm Metropolitanis urbibus quietem congruam providentes,*

eo quòd frequenter Epiſcopis vitam finientibus multæ turbæ naſcuntur, Clericis & populis earumdem civitatum abſque Rectore remanentibus, & Eccleſiaſticum ordinem confundentibus. quod nec veſtram latuit Sanctitatem, maximè propter Epheſios, quorum cauſsâ ſæpè moleſtiâ affecti fuiſtis: Τὸ γὰρ ἐκ πολλοῦ κρατῆσαν ἔθος, ὅπερ ἔσχεν ἡ Κωνσταντινουπολιτῶν ἁγία τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία εἰς τὸ Χειροτονεῖν Μητροπολίτας τῶν Διοικήσεων τῆς τε Ἀσιανῆς καὶ Ποντικῆς καὶ Θρακικῆς, καὶ Νῦν κατὰ Συνοδικὴν Ἐκυρώσαμεν ψῆφον. οὐ τοσοῦτον τῷ θρόνῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως τι παρέχοντες, ὅσον ταῖς Μητροπόλεσι τὴν εὐταξίαν πρυτανεύοντες, διὰ τὸ πολλοὺς πολλάκις, τελευτώντων τῶν Ἐπισκόπων ἀνακύπτειν θορύβους, ἀνηγεμονεύτων ὄντων τῶν ἐν αὐταῖς Κληρικῶν τε καὶ Λαϊκῶν, καὶ τὴν Ἐκκλησιαστικὴν τάξιν συγχεόντων. Ὅπερ οὐδὲ τὴν ὑμετέραν ἔλαθεν ἁγιότητα, μάλιστα τῶν Ἐφεσίων ἕνεκεν, πολλάκις ὑμῶν Διενοχληθέντων. Nituntur ergo in Ordinationũ negotio non Canone Conſtantinopolitano, ſed Conſuetudine. Multum verò diſtare jus Canone ſancitum, & Conſuetudinem quæ moribus utentium ſine ſcripto confirmatur quis ignorat? Et ſi quis prudentiæ civilis inſcius id negaret, ejus proterviam Judices cognitores revincent qui Act. XIII. Synod. Chalced. petunt ab Anaſtaſio Nicæno, qua ratione probaturum ſe confideret, Eccleſiam Baſilinopoleos ſubjectam eſſe Nicænæ, an ſecundum Canones, an ex Conſuetudine, πότερον κατὰ τοὺς Κανόνας, ἢ ἐκ συνηθείας τινός. Ad illuſtriorem confirmationem duo verba in hac oratione expendi velim, Conſuetudinem inquiunt, *Nunc Synodali*

Decreto firmavimus, Νῦν ἐκυρώσαμεν. Ergo nondum ulla Synodali definitione fuerat recepta. Deinde urgent ſe Decreto illo non tam Sedi Conſtantinopolitanæ aliquid præſtitiſſe quàm tranquillitati Metropolitanarum urbium conſuluiſſe.

Privilegiũ à Synodo Chalced. conceſſum multum differt à privilegio Honoris à ſecunda Syn. dato.

Ergo privilegium iſtud longè aliud eſt ab Honoris privilegio quod indulſit Synodus ſecunda, & in gratiam tantùm Conſtantinopol. Sedis irrogavit, eo quòd Regia civitas eſſet Nova Roma. Addunt Patres illi in Synodica Epiſtola Ἐβεβαιώσαμεν δὲ καὶ τὸν τῶν ρν. ἁγίων πατέρων τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει συναθροισθέντων Κανόνα. Τὸν διαγορεύοντα μετὰ τὸν ὑμέτερον ἁγιώτατον καὶ Ἀποστολικὸν θρόνον, τὰ πρεσβεῖα τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἔχειν, &c. Hìc diſertè mentionem faciunt Canonis Conſtantinopolitani, eumq; à ſe confirmatum teſtantur, cum de privilegiis ſecundique gradus honore decernunt; ut vel cœco patere poſſit, Ordinationes Metropolitarum Conſuetudine primùm introductas, deinde à Synodo Chalcedonenſi Confirmatas fuiſſe. Præterea Synodus Conſtantinopolitana cogit etiam invitos, ut nobis illud concedatur; *Aſianæ Diæceſeos Epiſcopos*, inquit, τὰ κατὰ τὴν Ἀσιανὴν μόνον οἰκονομεῖν, καὶ τοὺς τῆς Ποντικῆς τὰ τῆς Γοντικῆς μόνα, καὶ τοὺς τῆς Θρᾳκικῆς τὰ τῆς Θρᾳκικῆς μόνον οἰκονομεῖν. Hæc interdictio vetat omnibus Diœceſeon Exarchis, ſive Patriarchis, ne ſe ordinationibus, cœteriſque earum Diœceſeon negotiis Eccleſiaſticis immiſceant, multò magis Archiepiſcopo Conſtantinopoleos.

Quod teſte vel ipſo Socrate, qui Synodo Conſtantinopolitanæ affinxit in gratiam Conſtantinopolitanæ Sedis quod ſua ætate invaluerat, ita ſaltem intelligendum, ut ſola Thracia Epiſcopo Conſtantinopolitano commiſsâ, Aſiana & Pontica conventui Diœceſeos derelictæ ſint. Quòd enim in Canone III. privilegia Honoris Sedi Conſtantinopolitanæ poſt Romanam, eò quòd ſit ipſa Nova Roma, tribuuntur; de Honorario jure accipienda ſunt, ut monuimus initio; aut ad ſummum benigna interpretatione de Conſultationum jure Archiepiſcopo Conſtantinopoleos à Synodo communicato ad exemplum Romani Pontificis, quod per Ἐνδημοῦσαν Σύνοδον exequebatur; non de Patriarchali, & Ordinaria juriſdictione in Aſianam Ponticam, & Thracicam intelligenda ſunt: cum πρεσβεῖα illa in univerſum & per omnes Diœceſes, & Provincias illi conceſſa ſint, & non ſolis Aſianæ, & Ponticæ finibus coërcita. Ergo vel omnes Diœceſes, ipſamque Ægyptiacam & Anatolicam contra diſertam vim verborum ex hoc Canone Sedi Conſtantinopolitanæ adjudicabimus, vel Aſianam, & Ponticam, imò & Thracicam ab ipſius juriſdictione de ſententia Canonis, ut & duas reliquas eximemus.

Ecce tamen tentat Aëtius Archidiaconus, & cœteri Clerici Conſtantinopolitani qui Canonem XXVIII. de quo agitur invidioſis verbis expreſſerunt, id perſuadere, imò etiam diſertè profiteri, Ordinationes Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ

Archiepiſcopo Conſtantinopoleos à Synodo ſecunda permiſſas fuiſſe. Adeò ne ergo tam inverecundi oris fuerit, ut ſciens volens coram honoratiſſimo illo cœtu in legem Corneliam de falſis ſe præcipitem egerit? Adeò ſtipites & marrucini fuerint illi Patres, ut ſibi os ab Aëtio ſublini, ſéque ludibrio haberi paſſi ſint, quaſi nullus ex illis literas noviſſet? Imò verò, ut docuimus ſupra, Patres Chalcedonenſes Ordinationes illas ex Conſuetudine, & ſuo Synodali Decreto, Honoris autem ſolius privilegia rectiſſimè ex Canone Conſtantinopolitano vindicant. Quomodo igitur in has anguſtias redacti hanc controverſiam componemus? Levi brachio fiet iſta conciliatio, ſi juxta omnium Codicum Græcorum fidem, interpunctiones Grammaticas Canonis XXVIII. diſtinxerimus. Comma poſt verba illa *νέας Ῥώμης.* & iterùm aliud comma poſt iſta *δευτέραν μετ᾽ ἐκείνην ὑπάρχουσαν* imprimendo, & quatuor lineas quæ duobus illis Commatibus intercipiuntur, parentheſi includendo. Ita ut hic ſit Canonis ſenſus; Canonem qui nuper lectus eſt Centum, & quinquaginta Patrum agnoſcentes, eadem quoque & nos definimus, & ſtatuimus de privilegiis ejuſdem ſanctiſſimæ Eccleſiæ, Conſtantinopoleos Novæ Romæ. Et ut Ponticæ & Aſianæ, & Thracicæ Diœceſeos Metropolitani ſoli, præterea & qui ſunt in Barbarico Epiſcopi prædictarum Diœceſeon ordinentur à prædicto ſanctiſſimo throno ſanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ

Nova & vera Can. XXVIII. Synodi Chalced. interpretatio.

nopolitanæ Eccleſiæ. Adeòque definitio illa de Metropolitanorum Ordinationibus ad Synodi Chalcedonẽſis ſanctionem apertiſſimè referatur. Cui noſtræ novæ ſimulq; veræ interpretationi favet lectio Græca malè ab omnibus Interpretibus expreſſa, καὶ ὥστε τὰς τῆς Ποντικῆς, &c. Vertunt enim vulgò in editione Conciliorum Anaſtaſius, & Iſidorus *ut & Ponticæ*, quaſi illud cum præcedentibus immediatè verbis connecteretur, cùm vertendum ſit, *& ut Ponticæ.* iſtáque oratio trahenda ſit, ad ſuperiora verba ὁρίζομεν τε καὶ ψηφιζόμεθα. Integra verò illa periodus quæ interjacet, déque Novæ Romæ privilegiis, & de conſideratione qua moti ſunt centum quinquaginta Patres, ut Conſtantinopolitanã urbem amplificarent etiam in rebus Eccleſiaſticis, ſecundámque poſt Romanam conſtituerent, eſt includenda parentheſi, additáque ad ſuperioris orationis interpretationem eſt cenſenda. Planéque lectio Canonis conſtituenda eſt prout eum nos ſuprà integrum exhibuimus. Hacque in parte mirari ſubit ingenium & artes Aëtij, qui cùm apertè Sedi ſuæ tot Metropolitanorum ordinationes ex Canone Conſtantinopolitano aſſerere non poſſet, eo loquendi genere in contexendo Canone uſus eſt, ut incautis lectoribus Concilij Conſtantinopolitani auctoritas ad vitandam tegendámque novitatis, & intempeſtivæ ambitionis invidiam obrepat, & rigidis criticíſque cenſoribus veritati ſua ratio conſtet; totúmque deinde negotium ſincerè, &

ſine fuco Leoni Pontifici per epiſtolam Synodicam Concilij Chalcedonenſis referatur, ut ſuperiùs expendimus. Sanè Zonaras in dicto Canone XXVIII. ſatis manifeſtè juriſdictionem in Aſianam, Ponticam, & Thracicam Conſtantinopolitanæ Sedi decretam, à Synodo Chalcedonenſi manare obſervat his verbis: Ταῦτα περὶ τῆς τάξεως καὶ τιμῆς διαταξαμένη ἡ ἱερὰ Σύνοδος τοῦ θρόνου τῆς μεγαλοπόλεως ταύτης διαλέγεται καὶ περὶ τῶν ὑποκεῖσθαι μελλουσῶν αὐτῇ Διοικήσεων, καὶ ταύτας, εἶναί φησι, τὴν Ποντικὴν καὶ τὴν Ἀσιανὴν καὶ τὴν Θρακικήν, ὧν δὴ Διοικήσεων καὶ τὰς χειροτονίας τῶν Μητροπολιτῶν μόνων ἀνατίθησι τῷ Κωνσταντινουπόλεως.

Cœterùm licèt Synodus Chalcedonenſis blandiſſimis verbis Leonem Pontificẽ per Synodicam epiſtolam demulſerit, & ut Canon ille ab eo confirmaretur obſecraverit, rem gratam Imperatori, Senatui, totíque urbi Conſtantinopolitanæ facturum docens, ſummóque Pontifici tantam gratiam tribuendam ut Patri: εἰδότες, ὡς πᾶν τὸ παρὰ τῶν τέκνων γινόμενον κατόρθωμα, εἰς τοὺς οἰκειουμένους πατέρας ἀνατρέχει, cui jure patriæ poteſtatis ea bona acquiruntur, quæ à filiis quæſita fuerint; nunquam tamen ab exactiſſimo illo Sacerdote totius Eccleſiæ præſide, ut conſenſum ſuum huic innovationi præberet, extorquere potuerunt. Eâ præcipuè ratione quòd ſanctio illa Synodi, regulas Nicænas à nullo Synodali Conventu violandas infringeret: *Tanquam*, inquit Leo epiſt. ad Anatolium, *refutari nequeat quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per ſanctum*

Huic conſẽſum abnuit Leo ſummus Pontif.

verè Spiritum ordinata conditio in aliqua unquam ſit parte ſolubilis. Nulla ſibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem & octo quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum vel comparare ſe audeat vel præferre, cùm tanto divinitus privilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, ut ſive per pauciores, ſive per plures Eccleſiaſtica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum quidquid ab illorum fuerit conſtitutione diverſum. Idem ad Marcianum Auguſtum: *Non dedignetur*, loquens de Anatolio, *Regiam civitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere Sedem; nec ullo ſperet modo quod per aliorum offenſiones poſſit augeri. Privilegia enim Eccleſiarum, Sanctorum Patrum Canonibus inſtituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nullâ poſſunt improbitate convelli; nullâ novitate mutari. In quo opere, auxiliante Chriſto, fideliter exequendo neceſſe eſt me perſeverantem exhibere famulatum, quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, me, quod abſit, connivente violentur, & major ſit apud me unius fratris voluntas, quàm univerſæ domus Domini communis utilitas.* In Epiſtola ad Pulcheriam: *Conſenſiones verò Epiſcoporum ſanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unita nobiſcum juſtæ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus; in omnibus Eccleſiaſticis his legibus obſequentes quæ ad pacificatio-*

nem omnium Sacerdotum , per 318. Antiſtites Spiritus ſanctus inſtituit ; ita ut ſi multò plures aliud, quàm illi ſtatuêre, decernerent, in nulla reverentia ſit habendum , quidquid fuerit à prædictorum conſtitutione diverſum.

Ex quibus verbis colligitur evidentiſſimè, Leonem Pontificem non adeò niſum fuiſſe ſuperiori quadam in Synodo juriſdictione & auctoritate, dum Concilij Chalcedonenſis Conſtitutiones irritas eſſe decernit, quam reverentiam Nicænis Canonibus debitam prætendiſſe, ut ea ratione ſe à Canonis XXVIII. Nicænas regulas infringentis confirmatione excuſaret. Etenim cùm Romanus Pontifex ſit præcipuè Canonum & traditionum antiquarum cuſtos, Aſſertor & executor, ad illius reatum pertinet, ut ſi illo connivente in re ſaltem graviſſima violentur. In quam ſententiam præclarè Leo in epiſtola ad ſanctam Synodum habitam Chalcedone: *De cuſtodiendis quoque Sanctorum Patrum ſtatutis quæ in Synodo Nicæna inviolabilibus ſunt fixa decretis obſervantiam veſtræ ſanctitatis admoneo, ut jura Eccleſiarum, ſicut ab illis trecentis decem & octo Patribus divinitùs inſpiratis ſunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiſcat, nec per alterius imminutionem, ſuum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis aſſentationibus ſeſe inſtruat vanitatis elatio, & appetitus ſuos Conciliorum æſtimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quidquid à prædictorum Patrum Cano-*

Aſſertorē Canonum ſe præbuit hac in re ſummus Pontif.

nibus diſcreparit. Quorum regulis quàm reverenter Apoſtolica Sedes utatur, ſcriptorum meorum, quibus Conſtantinopolitani Antiſtitis conatus repuli, poterit ſanctitas veſtra lectione cognoſcere, & me auxiliante Domino noſtro, & Catholicæ fidei, & Paternarum traditionum eſſe cuſtodem.

Non ergo illo nomine Statuta Concilij Chalcedonenſis Leo reprobat, quaſi nullas habitura vires eſſent, niſi priùs illi collibuiſſet, ſed nullitatem dicti Canonis ex repugnantia Canonum Nicænorum petitam declarat: magnifico ſanè & illuſtri Primatus, ſeu Principatus ſui privilegio, ſed quod ad ſuperiorem in corpus definitionéſque Concilij exercendam auctoritatem extendi & porrigi non debeat; Si enim rite de quæſtione aliqua Nicænis regulis nondum deciſa Synodus Chalcedonenſis ſtatuiſſet, tantùm abeſt ut Leo Conſtitutioni illi deſtitutus vitio nullitatis opponendæ refragatus fuiſſet, quin potiùs geſtorum Synodalium approbatione, Concilij ſententiæ ex officio adhæſiſſet. Quod eleganter Leo Pontifex inſinuat in epiſtola ad Maximum Antiochenum hoc de negotio loquens: *Quidquid enim*, inquit, *præter ſpeciales cauſſas Synodalium Conciliorum, ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam dijudicandi habere rationem, ſi nihil de eo eſt à ſanctis Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis conſtitutionéque diſcordat, Apoſtolicæ Sedis nunquam obtinebit conſenſum.* Sed iſtam obſervationem ſolidiùs expende-

Non reprobat ſtatuta Concilij Chalcedon. ſed tantùm Canonem XXVIII. ut Nicænis regulis contrariũ.

mus in ſecunda diſſertatione.

Excõmunicationis mina à sũmo Pont. in Epiſcopum Conſtantinopoleos.

Interim notaſſe ſufficiet, Leonem adverſus ambitioſum hoc decretum adeò depugnaſſe, ut Anatolio Conſtantinopolitano Excommunionem comminatus fuerit: *Nam ſi inconceſſa quæſieris*, inquit, *ipſe te tuo opere atque judicio, univerſalis Eccleſiæ pace privabis.* Tandémque obtinuerit ab ipſo, ut à prima deſtinatione diſcederet expromiſſore Marciano Auguſto, ut patet ex Leonis epiſt. 59. ad Anatolium. Unde eſt quòd in Codice Canonum Eccleſiæ univerſæ edito à Dionyſio Exiguo ſub Imper. Juſtiniano, Canon ille XXVIII. inter Concilij Chalcedonenſis Canones non recenſeatur; & viginti ſeptem Canonibus illius Synodi conſtitutiones definiat Theodoretus ipſe qui Synodo interfuit in Synagoge Canonum quæ extat manuſcripta in Bibliotheca Regia, ut refert Cardinalis Perronius. Eodémque numero viginti ſeptem Canonum coërceat Theodorus Anagnoſtes proximus illi ætati ſcriptor lib. I. Collectaneorum. Licèt, ut obſervat Liberatus in Breviario, Principum Orientalium auctoritate freti Conſtantinopoleos Archiepiſcopi novi juris poſſeſſionem adepti fuerint, eamque vehementiſſimè ſervaverint & auxerint.

In quibus collectionibus non recenſeatur Canon XXVIII. Chalced.

Defuncti ſumus Canonis XXVIII. interpretatione, niſi reſtaret navanda opera in iis verbis ediſſerendis quæ tribuunt æqua privilegia Sedi Conſtantinopolitanæ cum Romana, quam tamen in

ſequentem diſſertationem quæ de Romani Pontificis auctoritate tractabit, inſtitutione Patriarchatus Conſtantinopolitani jam profligatâ, commodiùs differemus. Id tantùm obſervamus in anteceſſum, mitiùs, & æquiùs agere nobiſcum Græcos ſchiſmaticos, quàm hujus ſæculi Novatores. Concedit enim Zonaras acritérque diſputat Conſtantinopolitanam Sedem ſubjectam eſſe Romanæ, ſtoliditatíſque damnat contrariam ſententiam in Can. III. Conſtantinop. & ἴσα illa πρεσβεῖα non reſpectu Romanæ Sedis, ſed cœterarum Sedium intuitu, quibus Sedes Conſtantinopolitana præſideat, eſſe intelligenda πᾶσιν τῶν ἄλλων προτιμωμένην Ἐκκλησιῶν, δευτέραν δὲ μετ' ἐκείνην ὑπάρχουσαν, τῶν ἴσων γὰρ ἐν ἅπασιν ἀξιοῦσθαι ταύτην ἀμήχανον, in Can. XXVIII. Conc. Chalced.

Sedes Cōſtantinop. ſubjecta eſt Romanæ ex Zonara.

EIVSDEM AVCTORIS
DE ORIGINE COELI
ET TERRÆ.

DOCUIT Ariſtoteles aliam eſſe cœli materiam, ab hac ſublunari & inferiori materia. Quæ Moſis narrationi, plane convenit: qui cœlum conditum in ipſis rerum exordiis, deinde terram & aquas ſignificat, ut patet ex ſerie verborum ſcripturæ. Unde ſequitur, ex terræ & aquæ incondita & incompoſita mole, non emerſiſſe cœlum, quod priori momento jam erat conditum. Ex aliis verò hujus loci interpretationibus contrarium ſequitur: nempe ſi ſecunda, vel quarta die, conditum ſit cœlum, ut plerique volunt, ex præjacente materia, unde reliqua opera prodierunt, fuiſſe confectum. Plane de Solis atque Lunæ, reliquorumque Planetarum materia, quin petita fuerit ex Aquæ corpore attenuato diſputari non poteſt, ſed eorum formam nobiliorem fuiſſe concedendum.

concedendum quoque eſt : quæ ex ſpiritu cœleſti, & luce compacta ſit : niſi lucem per chaos prima die ſparſam, & deinde in corpora illa nobilia, tùm Planetarum, tùm Stellarum conjectam ad eorum tantùm corporum ornatum referas.

Quod autem ad ſpiritum cœleſtem attinet, qui formam ſeu animam quoque vegetantem & animalem comprehendit; ut rectè cum Ariſtotelis, & recentiorum quorumdam ſententia congruit, ita exactè verbis ſcripturæ reſpondet. Docet Ariſtoteles lib. 2. de gener. anim. c. 3. omnibus animatis ineſſe calidum quemdam ſpiritum elementorum conditione diviniorem: cujus corporis natura differt, prout animæ nobilitate vel ignobilitate inter ſe differunt. Qui quidem ſpiritus calidus ſemine continetur : & natura quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondet elementis Stellarum. Hujus ſpiritus naturam, (qui calidum innatum ſeu primigenium cõtinet, pabulo ſuo, ſcilicet humido quoque innato non aqueo, ſed oleoginoſo connexum,) diverſam eſſe ab elementari contendunt Scaliger, Fernelius, Valeriola, & alij plerique præſtantes medici: fulti tùm iſto Ariſtotelis teſtimonio; tùm etiam ea præcipuè ratione, quod à corpore miſto nobiliores procedant actiones, etiam poſt animæ vegetantis diſceſſum, quàm quæ tribui poſſint elementorum miſtioni : ut patet manifeſtè in occultis qualitatibus tum purgantium, tum ve-

nenorum, & alexiteriorum: tum etiam in ſympathiis, & antipathiis rerum viventium, quæ ad aliam originem referri non poſſunt.

Cœterùm cùm calidum iſtud innatum, ſit præcipuum animæ inſtrumentum, ad exequendum quidquid ſalutare & utile in generatione, nutritione, alimentorúmque confectione perficitur; & per hoc natura morbos, morborúmque cauſſas depellat; omnibus corporis integri partibus ſpermaticis inſitum eſt: ſed præcipuum ejus domicilium eſt in corde, quod proinde Galenus focum calidi innati nominat.

Sanè ad ſeminis naturam hoc calidum pertinere docuit Ariſtoteles: Semina porrò non ex elementorum miſtione proficiſcuntur, ſed generando, à ſingulis ſpeciebus viventium ſui generis, quaſi per traducem propagantur. Primùm autem originem habent ſemina, & in ſemine etiam hic inſitus ſpiritus, calidúmque innatum, ſine quo ſemen eſſe non poteſt, ex prima rerum creatione: quippe poſt creata ſingula elementa, ſingulis rerum viventium ſpeciebus à Deo Creatore indita ſunt: ut herbæ, & arbores producerent fructus ſuos juxta ſemen quæque ſuum, & animalia quoque multiplicarentur, ut rectè obſervavit Sennertus.

Quoniam verò replicari poſſet, nihil poſt primæ diei creationem conditum, niſi ex præjacente materia: ac proinde ſpiritum iſtum ſeminibus affixum, terreæ quoque fuiſſe naturæ & ele-

mentaris, contra ſententiam Ariſtotelis; juvandus eſt ille ex verbis quoque ſcripturæ, unde impugnatur: docendúmque, ut loquar cum Scaligero, hanc ſpiritus innati naturam, eſſe quintam eſſentiam, diſtinctam à quatuor elementis.

Primâ quippe die rerum omnium principia creata fuiſſe, in confeſſo eſt apud omnes; Cœlum ſcilicet, Terram, Aquas, & Lucem quæ eſt ignis elementaris dictus, Quæ quidem ſunt diverſæ ab invicem naturæ: & quarum neutra emerſit ex alterius concretione. Solus Aër ſupereſt è quatuor elementis qui non fuit effectus ſtatim, ſed ex Aquarum ſtabili tenuatione proceſſit: ut ejus quoque pars illa ſuperior & puriſſima, quam Ætherem dicimus.

Præter iſta rerum principia, obſervat Moſes quod *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, ſive ſuper ipſam totius Abyſſi incompoſitæ molem. Quæ verba licet variè ab Interpretibus torqueantur, faciliùs & juxta verbi Hebraïci proprietatem explicant illi, qui Spiritum & vim genitalem putant ſignificari; quæ Spiritu Dei velut incubantis fota, in rerum productione per vim, & formam ſeminalem tunc creatam ſe poſtea exerceret. Hæc vis genitalis quæ natura eſt elementis divinior, & ſidereæ reſpondet, ex Ariſtotele, non profecta eſt ex Aquis tanquam ex præjacente materia, ſed ab ipſo Domino in exordio rerum producta. Quare juxta ſcripturæ ipſius

verba, Spiritum innatum & genitalem, quem Deus ſeminibus immiſcuit, ad aliam naturam ab iſta terrea, & quæ cum ſiderea, & cœleſti natura paria faciat cum Ariſtotele licebit revocare.

Ex iſta quoque vi & ſpiritu genitali aquis incubante, & ab iis diſtincta poterunt Philoſophi formas Planetarum cœleſtes, & ab elementari concretione remotas aſſerere: quæ fuit Scaligeri aliorúmque eruditorum ſententia. Sanè Stellæ fixæ cum ſint partes Cœli, ejuſdem ſunt cum eo materiæ & formæ. Solam lucem conſecutæ ſunt à luce Solis diſtinctam: unde illis Stellarum nomen, id eſt partium in corpore Cœli lucentium.



INDEX RERUM ET VERBORUM NOTABILIUM,

QUÆ DISSERTATIONES POSTHUMÆ ſacræ & Eccleſiaſticæ Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Petri de Marca Pariſienſis Archiepiſcopi, ſuperiùs in lucem editæ, complectuntur.

A

ABEL & Abraham primitias frugum & pinguiores victimas Deo adoleverunt, pag. 84
Abraham retinuit morem traditum adolendi, *ibid.*
Abſentes quibus deſtinatur ſacrificium, ejus efficaciam experiuntur, p. 98
de Accidentium ſubſiſtentia in Euchariſtia apud veteres nulla diſputatio, p. 57
Accidentia cenſebantur adjuncta carni viſibili, *ibid.*
Accuſatorius libellus contra Chryſoſtomum, 18. capita comprehendens, p. 164
Actio offerendi. Actio Sacerdotis in ſacrificio, p. 102. 103. 104
Actio Sacerdotis adjungitur interpellationi verborum, p. 104
Ad fidem veniens ante verba Baptiſmi eſt in vinculo veteris debiti, p. 26
Adminiſtratio alienæ Eccleſiæ prohibita, p. 161. 162
Adminiſtratio alienæ Eccleſiæ & provinciæ vocatur latrocinium apud veteres, p. 161
Adminiſtratio alienæ Eccleſiæ permiſſa neceſſitate & conſenſu, p. 161. 163
Adminiſtratio triũ diœceſeon Thracicæ, Ponticæ, & Aſianæ Græcis & Latinis Commentatoribus incognita, p. 119. 120
Adminiſtratio illa probatur ex Can. II. Conc. Conſtantinop. & Impp. decretis, p. 120
Adminiſtratio ſumma rerum ab antiquis Impp. unico Præfecto prætorio, dein duobus, & 4. à Conſtantino M. data. p. 113
Adminiſtratio cujuſque Præfecti prætorio in quas diœceſes, & provincias, *ibid.*
Ad Adminiſtrationem alterius Eccleſiæ finitimi Epiſcopi vocari poſſunt, p. 163
Adoratur caro Chriſti antequam ſumatur, ex Aug. p. 79
Adulatoria in gratiam Epiſcopi Conſtantinopol. verba, p. 181
Ægyptus una ex diœceſibus Præfecti Prætorio Orientis, p. 115
Ægyptus diœceſis habet ſex provincias, *ibid.*
Ægyptus una ex ſex illis provinciis, *ibid.*

Æqua privilegia Conſtantinopol. Epiſcopi, non reſpectu Rom. Sedis, ſed cœterarum Sedium intuitu intelliguntur, p. 215
Aër ex ſtabili aquarum tenuatione proceſſit, p. 219
Aetius Archidiac. Conſtantinopol. acriter tuetur jura ſui Epiſcopi, p. 196. 197. 207. 209
Affirmandum non eſt cum temeritate de intelligendis, p. 3
Africa diœceſis ſex habuit provincias, p. 117. 118
Africanorum Patrum ſententia de Euchariſtia, p. 51. 52. 53
Agapetus Synadorum Epiſcopus ad ſanam de fide opinionem redit, p. 158
Agath. Synodus, ut fideles feſtis Paſchæ, Pent. & Nat. Domini communicarent præcepit, p. 100
Agnus immolatur incruentè à Sacerdotibus, p. 29
Agnus integer comeditur, *ibid.*
Alenſis pro ſententia auctoris de conſecratione panis, p. 102
Alexandrinus Epiſcopus habebat ſub ſe Ægyptum, Libiam & Pentapolim, p. 118. A Patriarchatu deturbatus, p. 195
Alitur caro humana è corpore & ſanguine Domini, p. 37. 38. 39. 46
in Altare ſublime defertur oblatio Sacerdotis ex Irenæo, p. 106
Ambroſij ſunt libri de Sacramentis, p. 23
Ambroſij loca corpus Chriſti in Euchariſtia aſſerentia, p. 22. 23. 33
Ambroſius non rogavit Anatolium Conſtantinopol. ut privaret Gerontium Epiſcopatu, ſed ut auferretur, p. 167. 168
Anatolius Conſtantinopol. Epiſcopus conſuetudinem cogendæ Synodi ἐνδημούσης prætendens. p. 149
Anatolius ſolùm Exarchus Thracicæ & aliis privilegiis fruens, p. 192
Anatolius Metropolitarum ordinationes ambivit ſub Conſuetudinis ſpecie, *ibid.*
Ancyranus Epiſcopus ordinavit Epiſcopum Gangrenſeon quo jure, p. 132
Ancyranæ urbis dignitas magna, p. 136. Condita ab Auguſto, *ibid.* Cui ſumptib. Aſiæ aras poſuit, *ibid.*
Ancyrana urbs Metropolis Galatiæ in Imperio & in rebus Eccleſiaſticis quoque, p. 137
Angelorum miniſterio preces deferri ad Deum dicuntur, p. 106
Angelorum maximus numerus Chriſtum ſtipat in Euchariſtia teſte Chryſoſtomo, p. 106
Angelus vindex ſententiæ auctoris de ſacrificio à Sacerdote in foro peracto, *v. g.* 102
Anima fidelis per fidem conjungitur Chriſto uſque ad ſpiritus & divinitatis participationem, p. 41
Antiochena ſynodus coacta ad diſcuſſionem Perrhæ Epiſcopi, p. 159
Antiochenus Epiſcopus præerat Syriæ, Cœleſyriæ, utrique Ciliciæ & Meſopotaniæ tempore Zonaræ & Balſamonis, p. 118
Antiquitas Can. Apoſtolorum, p. 163
Antiqua Eccleſiarum Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ deſcriptio, p. 21
Antoninus Epiſcopus Epheſi nundinationis Sacerdotij accuſatus, p. 165. Fato functus ante judicium, p. 166
ex Apocalypſi ſumpta phraſis *oblationem in ſublime altare deferri*, p. 106

ex Aquæ corpore attenuato ſolis, lunæ, reliquorúmque Planatarum materiam petitam fuiſſe non diſputari poteſt, p. 216. ſed eorum forma nobilior, *ibid.*
Arabia provincia diœceſis Orientis, p. 115
Arabiæ ſub Tyrannide Muhemmedana, p. 118
Arcadia provincia diœceſis Ægypti, p. 115
Arcana myſterij Euchariſtiæ recluſa verbis Aug. p. 57
Argumentum contra poſitionem Auctoris, de inſtitutione Patriarchatus Conſtantinop. p. 202. ſolutum, p. 203. *uſque ad* 208
Ariſtotelis ſententia de materia cœli, & ſublunari, p. 216
Catholicus Armeniæ à Cæſar. Cap. Epiſcopo ordinatus, p. 129
Aſia minor tertia pars Aſiæ majoris, quæ quarta. pars eſt orbis, p. 122
Aſia minor vocabatur Epirus magna, 122. inſtar eſt peninſulæ, *ibid.*
Aſia minor Citerior & Superior ab Agrippa apud Plinium deſcribitur, p. 122. quas contineret provincias, *ibid.*
Aſia regnum Attali Pergameni, p. 123 Romanis hæredibus inſtitutis obvenit, *ibid.*
Aſia minor unde Natolia dicta, *ibid.*
Aſia Proconſularis eadem cum Regno Attali, p. 124. cujus caput Epheſus, *ibid.*
Aſiæ Proconſularis limes, *ibid.*
Aſiana diœceſis Præfecti prætorio Orienti, imperio ſubjacebat, p. 115
Aſiana diœceſis differt ab Aſia minore, & ab Aſia Proconſulari, p. 122
Aſiana diœceſis quas contineret provincias, p. 116. 122. 131. 133
Aſianæ diœceſis duæ partes, p. 123 126
Aſianæ diœceſi Aſia Proconſularis adjuncta, p. 133
Aſiana diœceſis à ſua ſynodo regebatur p. 120. 137. 165. 206. Illius adminiſtratio Exarchis interdicta, *ibid.*
Aſianæ diœc. Exarchus, Epheſinus Epiſcopus, p. 134
Aſianæ diœceſeos ordinationes ad quem pertinent, à p. 187. *uſque ad* p. 192
Aſpectabilis eſt pars altera Euchariſtiæ, p. 54
Athletes Chriſtianæ Philoſophiæ, p. 112
Atticus Conſtantinopol. Epiſcopus pararij munus egit in cauſſa Agapeti & Theodoſij Synadorum Ep. p. 157
Atticus privilegium à Syn. Conſtantinopol. conceſſum confirmari & amplificari ab Imp. reſcripto curavit, p. 169
Atticus ordinationes Thraciæ contra jus & mores antiquos ſibi aſſeruit, p. 198
Auctor laterculi provinciarum adjuncti Geographiæ Ptolomæi recentior Ptolomæo, p. 131
Auctori feliciter cecidit ſua erga hæreticos de conſecratione panis opinio, p. 101. hanc propugnavit coram ſuperilluſtr. Cancellario, *ibid.*
Auctoritas Antiquæ Heracleæ in veteri Epiſcopatuum laterculo, p. 130
Auctoritas Epiſc. Conſtantinopol. in Ordinationib. precaria, p. 170
Auctoritas par ſynodis Epiſcoporum in rebus Eccleſiaſticis quæ erat Vicariis Prætorianis in rebus civili-

bus, p. 173
Auctoritas Sedis Conſtantinopol. aucta, p. 174
Auctoritas Dei fidem condit, p. 213
ſine Auctoritate ſcripturæ non eſt de ſacrificio novæ legis diſputandum, p. 86
ne Augmentum per alterius imminutionem quæratur, p. 212
Auguſtanica provincia diœceſis Ægypti, p. 115
Auguſtinus deſcribens varios loquendi modos de Euchariſtia, p. 39
Auguſtini ſententia de ſacramento Euchariſtiæ, p. 52. 53. 57
Auguſtini doctrina non repugnat Theodoreto, p. 73. Sed uberior eſt in explicando modo ſignificandi quo panis myſticus eſt ſacramentum Corporis Chriſti, *ibid.* & p. 73
Auguſtini ſententia de Euchariſtia per varios locos ſparſa, & à proſpero in compendium redacta, p. 49
Auguſtini locus vulgo non intellectus, videlicet dum dicit, Carnem carnis & Sanguinem ſanguinis eſſe ſacramentum, p. 51
Auguſtinus vocat Corpus Chriſti & ſacramentum, & rem ſacramenti, p. 57

B

Ante BAPTISMI verba ad fidem veniens eſt in vinculo veteris debiti, p. 26
Baronij & Perronij interpretatio rejicitur, & altera ab Auctore proponitur, p. 188
Baſiliſcus Tyrannus ſynodum Chalced. damnat, p. 203
Baſilius communicationem quotidianam Euchariſtiæ ſuadet Cæſariæ patritiæ, p. 30
Baſilij locus corpus Chriſti probans. *ibid.*
Baſilius Epiſcopus ab Epiſcopo Conſtantinopol. Proclo ordinatus, ſed contra Canones, p. 182
Baſſiani Epiſcopi Epheſini lis contra Stephanum, qui fuit etiam Epiſcopus Epheſinus, *à* p. 178. *uſque ad* 183
Baſſianus deturbatus per vim de ſede Epheſinæ Eccleſiæ, p. 179. In cuſtodiam detruſus, *ibid.*
Benedictio panis ex ritu Judæorum uſurpata, p. 6
Benedictio panis gratiarum actio appellata ab Evangeliſtis, *ibid.*
Beronicianus Sacr. Conſiſtorij à ſecretis, p. 196
Beryto jus Metropoleos conceſſum ab Imp. & à ſynodo Endimouſa confirmatum, p. 153. Revocatur à ſyn. Chalcedonenſi, *ibid.*
Beſſarion in Conc. Florent. explicuit modum & tempus pronuntiandarum precum Sacerdotis cum verbis conſecratoriis Chriſti ad ſedandam controverſiam inter Græcos & Latinos, p. 103
Blaſphemia Marcionis, p. 54
Bona temporalia poſtulari & impetrari poſſunt in ſacrificio, quatenus in ſpiritualem animæ profectum conducunt, p. 94
Bonaventuræ opinio de conſecratione Euchariſtiæ, p. 101. 102
Bretannio Epiſc. omnibus Eccleſiis Scythiæ præpoſitus, p. 145
Britanniarum diœceſis quinque provinciæ, p. 118
Byſantium deletum, & urbi Heracleæ addictum, p. 129
in Byſantij ruderibus excitata nova Roma

Româ Heracleenſis Metropolitæ dignitas in rebus Eccleſiaſticis reſervatur, p. 129

C.

CÆSAREA Cappadociæ jus Metropoliticum in rebus Eccleſiaſticis exercuit per diœceſim Ponticam, p. 128
Cæſarea Mazaca fuit appellata, *ibid.*
Cæſareæ Epiſcopus Metropolitam ordinavit, *ibid.*
Cæſareæ Epiſcopus vocatus Exarchus, p. 134. 135
Cæſareæ Paleſtinæ reſervata dignitas Metropol. dum privilegium honoris Hieroſoly. Epiſcopo conceſſum eſt, p. 139
Calix benedictionis, p. 30
Callidum commentum Clericorum Conſtant. ad aſſerendum ordinationes Epiſcoporum Conſtantinopolitano Epiſc. p. 190
Calidum innatum ſeu primigenium, p. 217
Calidi innati effectus & domicilium, p. 216
Canonicæ quæſtiones ſynodis commiſſæ, p. 155. 172. 173. 175
Ad Canonum violatorum ulciſcendam injuriam rogatur Imp. Leo, p.
Canon II. Conſtant. Adminiſtrationem Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ diœceſeon ſynodis tribuit, p. 139
Canon III. ejuſdem ſyn. privilegia honoris Epiſcopo Conſtantinopol. concedit, 139
Canon III. Conſtantinop. non fuit ad ſedem Apoſtolicam relatus, p. 146. Inſinuatus tantùm, *ibid.*
Canon XII. Chalc. honorem ſolùm impendit Civitatibus jure Metropolitico donatis à Principe, 139
Canonis ejuſdem condendi occaſio, *ibid.*
Canonicæ quæſtiones à Theodoſio ſynodo Illyrici attributæ, p. 175
Canonicæ quæſtiones non judicibus publicis, ſed ſynodis Epiſcoporum commiſſæ, p. 173. 175
Canones Apoſtolici vocantur lex vetus, unde eorum antiquitas colligi poteſt, p. 163
Canon XXVIII. Chalc. in quibus collectionibus Canonum non recenſeatur, p. 214
Canon XXVIII. Chalc. phaleratis & contortuplicatis verbis exornatus, p. 202
Canonum interpretatio in dubiis, ſynodis reſervata, p. 172
Canonibus & moribus antiquis ſua debet conſtare auctoritas, *ibid.*
Canon XXVIII. Chalc. editus à ducentis Patribus, Legatis Apoſt. Sedis abſentibus, p. 194. 195. 196. & aliis quorum intererat non vocatis, *ibid.* vera & nova hujus Canonis interpretatio, p. 208. 209. Regulis Niceni Conc. eſt contrarius, p. 210. 211. 212. 213
Canonici Epiſcopi qui juxta Canones mores & ſedem habent, p. 186
Canonici qui ſint hodie, *ibid.*
Κανονικῶς legendum & non Κανονικὸν, p. 186
Canonici Pſaltes & Cantores qui recenſentur in Canone, p. 185
Cappadocia I. & Cappadocia II. Provinciæ diœceſis Ponticæ, p. 116
Cappadocum Reges Mazacam Re-

giam conſtituerunt, p. 127
Cappadocum gens totius Imperij obtinuit olim Imperium, *ibid.*
Cappadoces Cæſareenſes Synodi Ponticæ ſuffragio detulerunt ad Archiepiſcopum Conſtantinopol. poteſtatem ordinandi Cæſareæ Archiepiſcopum, p. 177
Caritas non requiritur in Sacerdote, ut fructus ſacrificij in alios redundet, p. 98
qui Carnem Chriſti edit, & bibit Sanguinem vitam æternam habet, p. 30
Carnis Chriſti appellatio, æque ac Corporis promiſcuè uſurpatur apud quoſdam Patres, p. 49
Caro communis non vivificat, p. 31
Caro Chriſti inviſibilis conjuncta pani, & Sanguis inviſibilis conjunctus vino ſunt ſignum ſacrum corporis viſibilis & crucifixi, p. 50. 51
Caro Chriſti non ſumitur quin prius adoretur, p. 79
Caro Chriſti incruenta, vivifica præſens ſymbolis offertur Deo in ſacrificio ex ſententia omnium veterum, p. 75
Caro inviſibilis cum forma panis eſt Sacramentum Corporis viſibilis & palpabilis, p. 73
Caro Chriſti tritico ſignificata eſt, p. 68
Caro Chriſti velamen & tegumentum appellata, p. 67
Caro ſpiritualis, immortalis, vivificatrix & intelligibilis aſſeritur Corpus Chriſti, p. 28. 70
Caro eſt Sacramentum carnis ex Auguſt. p. 51. ex Ambr. p. 73
Caro inviſibilis, p. 50. 53. 73
Caro & Sanguis Chriſti dupliciter intelliguntur apud Hieronymum, p. 49. 50
Caro hominis à Corpore & Sanguine Domini alitur, p. 37. 38
Caro Chriſti manducatur ex Auguſt. p. 33. ex Leone I. *ibid.*
Carnis Chriſti eſus duplici ratione, p. 27. 28
Caro hominis nutrita ab Euchariſtia corruptionis expers futura, p. 39. 40. 43
Caro crucifixa, p. 50
Caſaubonus docens Ancyrum fuiſſe Galatiæ Metropolim, p. 137
Catholicus Armeniæ ſeu Metropolitanus Armeniæ, p. 128
Catholicus Armeniæ à Cæſareæ Epiſcopo ſemper ordinatus, p. 129
Celſus ut Dei ignarus gratias agat demonib. ex Orig. p. 28
Centurio imitatione dignus, *ibid.*
Ceræ comparatio cum carne & Sanguine Chriſti, p. 32
Chalced. Synodi finis, p. 201. damnatur ab Aſiana Syn. p. 203
Chalced. Synodus, & jus Patriarchicum Conſtantinop. Epiſcopi reſtituuntur à Zenone Imp. p. 203. 204
Chriſti conſilium in novi ritus inſtitutione, p. 9
quod Chriſtus edocet primo inſpiciendum, p. 1
Chriſtus eodem modo ſe videndum præbiturus eſt in extremo adventu quo in cœlos ſe ſuſtulit, p. 74
Chriſtus reſtatus eſt panem azymum benedictum, fractum & diſtributum eſſe Corpus ſuum, p. 6. 9
Chriſtus res oblata & qui offert, p. 92. 107
Chriſtus ad dexteram Dei interpellans pro nobis, p. 92
Chriſtophorſoni lapſus ἡγεμονίας, Epiſcopatus interpretans, cùm ſignificent Metropoles, p. 130

S. Chryſoſtomi loca Corpus Chriſti in Euchariſtia aſſerentia, p. 18. 19. 20. 30
Chryſoſtomus Ep. Conſtantinopol. damnatus à Synodo ad Quercum, p. 59
Chryſoſtomus revocatur à Preneto Emporio à Synodo ἐνδημούσῃ, p. 159
Ex Chryſoſtomi facto conſuetudo & origo Synodorum ἐνδημούσων, p. 159. 160
Chryſoſtomus Epiſcopos quindecim ſecundi gradus ordinaſſe & alienas provincias invaſiſſe accuſatus, p. 164. 165
Chryſoſtomum damnatum fuiſſe Eccleſia conqueſta eſt, p. 165
Chryſoſtomus urgente Eccleſia in diptycha relatus, ibid.
Chryſoſtomus in alienis provinciis ordinans, p. 166. 167
Chryſ. privilegio honoris præfuit in Synodo Epheſina, & de ſententia Patrum aliquam juriſdictionem exercuit, p. 167
Chryſ. ut præſes Provinciæ Heracleenſis ordinavit Serapionem Heracleæ Epiſcopum, p. 168
Cibus vetitus corpori venenum, Cibus Euchariſtiæ remedium affert, p. 43
Ad cibum Euchariſtiæ nemo imparatus accedere debet, p. 35
Cilicia provincia diœceſis Orientis, p. 115. Cilicia II. quoque ibid.
Circumſtantes cum fide & pietate offerunt ſacrificium Sacerdotis miniſterio, p. 97
Clemens Alexandr. p. 2
Clerici vocabantur olim Canonici, p. 186
Clerici Conſtantinopol. nullum jus Can. XXVIII. Chalc. obtinere potuerunt Epiſcopo ſuo in provincias Illyrici, p. 176
Cœli materia alia à ſublunari, p. 116
Cœlum non emerſit ex terræ & aquæ incondita & incompoſita mole, ibid.
Cœleſtis res Euchariſtiæ, eſt corpus Domini, p. 38
Cœlum ſecunda vel quarta die conditum ex præjacente materia plerique volunt, p. 116
Cognitio rerum creditarum ad fidem tuendam adjuvat, p. 2
Cognitio aſſurgit ex rerum creditarum tractatione, ibid.
Colloquia ab uno ad plura diffunduntur, p. 112
